F. VINCENTII MARIAE
DINELLII
CATHEDRATICI CASANATENSIS
ORDINIS PRAEDICATORUM

A D

CAROLUM NOCETIUM
SOCIETATIS JESU THEOLOGUM

DE DANIELIS CONCINAE
In indicandis, describendisque Casuistarum locis summa fide, ac diligentia

EPISTOLAE.



ROMAE, MDCCLVI.
Apud Haeredes Jo: Laurentii Barbiellini
SUPERIORUM FACULTATE.

Digitized by Google

NOS FR. VINCENTIUS MARIA FERRETTI

Sac. Theol. Professor, ac totius Ordinis FF. Praed. humilis Mag. Vicarius & Procurat. Generalis, & Servus.

HArum serie, Nostrique auctoritate Officii, quantum in nobis est, facultatem concedimus A. R. P. Magistro Fr. Vincentio Mariae Dinellio Provinciae Nostrae Romanae, Cathedratico Casanatensi typis edendi opus ab ipso elaboratum, cui titulus: *ad Carolum Nocetium Societatis Jesu Theologum de Danielis Concinae in indicandis, describendisque Casuistarum locis summa fide, ac diligentia Epistolae*: dummodo a duobus RR. PP. Nostri Ordinis Sacrae Theologiae Professoribus praelo dignum judicetur, & serventur cetera de jure servanda. In nomine Patris &c. In quorum &c. Datum Romae in Conventu Nostro S. M. S. M. die 19. mensis Junii 1756.

Fr. Vincentius Maria Ferretti
Vicarius, & Procurat. Generalis Ord.

Reg. pag. 23.

Fr. Thomas Ignatius Maria Natta Mag. & Socius.

A P-

APPROBATIONES.

JUſſu Reverendiſſimi Patris Fr. Vincentii Mariae Ferretti totius Ordinis Praedicatorum Vicarii Generalis legimus Librum, cui titulus eſt: *Fr. Vincentii Mariae Dinellii Cathedratici Caſanatenſis Ordinis Praedicatorum ad Carolum Nocetium Societatis Jeſu Theologum de Danielis Concinae in indicandis, deſcribendiſque Caſuiſtarum locis ſumma fide, ac diligentia Epiſtolae.* In quo cum nihil offenderimus, quod fidei Catholicae, boniſque moribus adverſetur, dignum judicavimus, qui typis ederetur. In quorum fidem &c.

Datum Romae in Aedibus S. Mariae ſupra Minervam die 19. Junii 1756.

Fr. Angelus Spannocchi Ord. Praed. Magiſter, & Prior Minervitanus.

Fr. Alexander de Tretis Ord. Praed. Sac. Theol. Lector.

DE mandato Reverendiſs. Patris Joſephi Auguſtini Orſi Sacri Apoſtolici Palatii Magiſtri attente legi librum, cui titulus: *Fratris Vincentii Dinellii Cathedratici Caſanatenſis Ordinis Praed. ad Carolum Nocetium Societatis Jeſu Theologum de Danielis Concinae in indicandis, deſcribendiſque Caſuiſtarum locis ſumma fide, ac diligentia Epiſtolae*; cumque nihil offenderim, quod fidei, aut bonis moribus contradiceret,

quantum mea intereſt, typis mandari poſſe exiſtimo.

Datum Romae die 19. Junii 1756.

D. Maurus Aloysius Belcredi Congr. Caſinenſis, Sac. Theolog. Lector.

J. M. J.

Juſſu Reverendiſs. P. Joſephi Auguſtini Orſi Ord. Praed. S. Palatii Apoſtolici Magiſtri, attente legi librum, cui titulus: *Fr. Vincentii Mariae Dinellii Cathedratici Caſanatenſis Ordinis Praed. ad Carolum Nocetium Societat. Jeſu Theologum de Danielis Concinae in indicandis, deſcribendiſque Caſuiſtarum locis ſumma fide, ac diligentia Epiſtolae*; in quo nihil reperi, quod cum fide, boniſque moribus repugnet, atque adeo edi poſſe exiſtimo.

Ex Collegio S. Mariae de Victoria die 19. Junii 1756.

Fr. Eduardus a S. Xaver. Carmel. Excalc. olim Sac. Theologiae Praelect. nunc vero ſupremae Generalis Inquiſitionis Qualificator.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sac. Pal. Apoſtol. Mag.

F. M. de Rubeis Patr. Conſt. Viceſg.

IMPRIMATUR,

Fr. Vincentius Elena Reverendiſſimi Patris Mag. Sac. Pal. Apoſt. Socius.

EPI-



EPISTOLAE VI.

ARGUMENTUM.

CXVII.



Roponit caussas, cur tam multis de quovis Casuistas disputet. CXVIII. *Lecchium, & Vivam non injuria in Barbeyraci refutatione a Concina nominatos dicit: ab iis enim Augustini de ignorantia praeceptorum juris naturalis sententiam, qua Barbeyracus abutitur, contortam esse.* CXIX. *Porro Lecchii nominandi caussam Concinae fuisse, quod ea de re olim fuisset inter ipsos concertatio. Nam si Concina, ut contendit Nocetius, creare voluisset Jesuitis invidiam, non fuisse defuturos Platelium, Rhodesium, aliosque permultos, quos Barbeyracum*

Digitized by Google

cum erroris Auctores sequutum diceret. Demonstrat deinde cur Sixtus Senensis praetermissus sit, quantumque inter Probabilistas, & Dominicanos Scriptores differat. CXX. *Pergens inde ad Lessium, docet ab hoc Casuista parvitatem materiae in genere luxuriae propugnari.* CXXI. *Hunc enim in hac quaestione ita versari, ut ab Aravio, ceterisque ejus laxitatis fautoribus non dissentiat.* CXXII. *Escobarium autem non multum ab ea laxitate distare dicit. Ceterum quod is auctor minus recte citatus fuerit, non id Concinae quidem, sed Salmanticensibus dari vitio oportere.* CXXIII. *Rursus de Lessio sermonem instituens, exponit ejus de mutuo sententiam.* CXXIV. *Tum a Concina Serram, atque Ledesmam Dominicanos fuisse praetermissos, plane negat.* CXXV. *Eam vero opinionem, ex Tamburino, visam Lessio probabilem cum Evangelio tamen pugnantem, recte in Catalogum damnabilium referri docet.* CXXVI. *Tertium, de Lessio disputat: huncque D. Th. verba pervertisse demonstrat.* CXXVII. *Ac non verba modo, verum sententias quoque falso D. Th. imposuisse; tum quid Lessium inter, ac D. Th. intersit, in opinione de accepto ob turpe lucrum ostendit.* CXXVIII. *Neque vero S. Thomam modo, sed reliquos etiam Thomistas omnes, potissimum vero Antoninum, atque Cajetanum ab ea sententia abhorrere.* CXXIX. *Lessium porro, aliosque, qui Clericos a crimine, si negotiationes exerceant, liberant inepte admodum ostendit explicari a Nocetio.* CXXX. *Nocetio auctor est Dinellius, ut quoniam Magistros se Dominicanos sequi gloriatur, iis praetermissis, quorum est notus error, reliquos sibi ad sequendum proponat.* CXXXI. *Quae iterum de contractu Mobatra, Lessii sit opinatio, exponit: aitque eam nihil ab damnata ab Innocentio XI, eadem in re, propositione distare.* CXXXII. *Id vero magis*

gis constare ex iis verbis dicit, quae ex relata a Nocetio Lessii ejusdem sententia construuntur. CXXXIII. Proponit, qua ratione possit Lessius a contradictionis vitio liberari. CXXXIV. Salmanticensium autem testimonio usum fuisse Concinam scribit, ut ab Lessio negari Bullae S. Pii V, quae est de Officio B. V. a pensionariis recitando, auctoritatem, diceret. Consuesse autem Lessium Pontificum Constitutiones haud magni aestimare, propositis exemplis demonstrat. CXXXV. Cardinalis de Lugo sententiam recte omnino ab Concina exponi confirmat. Lugo enim secum ipsum pugnare, & verbis ludere. Neque profici quicquam Lugi opinioni iis verbis, quae sunt a Concina praetermissa. CXXXVI. Rursus de de Lugo disputat, ostenditque plane verbo tenus ab ipso, quod propositum est, negari, affirmari autem re ipsa: propterea quod quaerens liceat ne scortis retinere pretium meretricii a Religiosis viris acceptum, neget licere: tum vero utrinque constitutis rationibus, affirmantes non solvat; negantes solvere conetur. CXXXVII. Rursus etiam, quod, etsi negantem probabilem dixerit, affirmantem tamen in praxi tuto sequi quemque posse comminiscatur. CXXXVIII. Idem esse de Pellizario judicium, qui Card. de Lugo verba ferme syllabatim descripserit. CXXXIX. Ostendit Salmanticenses Cardinali de Lugo laxitatem, qua adulteri utrique, incerta prole a damno sarciendo liberantur, tribuisse. Iis itaque, non Concinae id vitio esse vertendum. CXL. Nam quod contendit Noccetius legi auctores ab Concina in fonte oportuisse, inane esse: satis namque fuisse, quod Concina Lectores monuerit, permulta a Casuistis in hoc genere peccari. Neque vero tantam esse Casuistis adjungendam auctoritatem, ut cujusque eorum opiniones ab aliis Scriptoribus indicatas, singulas apud eos ipsos adire opus sit, a quibus feruntur

tur esse profectae ; vel eo potissimum , quod nullam adhuc repererit Nocetius ab Concina relatam Casuistarum opinionem, quae ab iis non fuerit propugnata. CXLI. *Negat vitiatam fuisse a Concina Card. de Lugo sententiam de leviore satisfactione tempore Jubilaei poenitantibus imponenda .* CXLII. *Parvi autem referre , quod Nocetius sumit , ipsis poenitentibus Jubilaeum pro satisfactione imponi. Satis enim esse, ne fraudis insimuletur Concina,docuisse Lugum modicas injungi poenitentias posse .* CXLIII. *Multis porro de caussis confitentibus poenitentias injungi : quapropter nibil prodesse Lugo inductam a Nocetio D. Th. sententiam , qua docet posse indulgentias in satisfactionem applicari .* CXLIV. *Johannem Marin quem vindicat Nocetius , Moyae discipulum : ignotum sibi Auctorem ex librorum prohibitorum indice cognovisse se primum Dinellius praeponit .* CXLV. *Sententiam itaque propugnantem eum qui virginitatem voverit , ad castitatem non teneri , evincit non ab Concina Marino affictam , sed vere ipsi fuisse probatam .* CXLVI. *Inaniter queri Nocetium de Concina concludit , quod bis in Indice Marini nomen legatur . Hujus fortasse Auctorem non esse Concinam . Ceterum multa esse in indicibus praetermissa , quae si indicata forent , minus Nocetio placerent .*

FR.



FR. VINCENTIUS MARIA DINELLIUS

ORDINIS PRAEDICATORUM

CAROLO NOCETIO

SOCIETATIS JESU

S. P. D.

CXVII.



Tsi verebar, ne cui multa de unoquoque Casuista disputare viderer, & plura, quam Concinae objicias, aut tua, aut tuorum Casuistarum errata in te ipsum regerere conari, tamen desistendum a suscepto consilio non putavi, ut qui, ut alibi dixi, dicamque fortasse saepius, animadvertissem, accusationem *imposturae* tum maxime refelli, cum ostensum fuerit,

Q

rit, potuisse Concinam multo plures, quam numerarit, numerare Probabilistarum lapsus, adeoque opus ei non fuisse mendacio, quamobrem esse cuique ab eorum dictis, sententiisque cavendum praedicaret. Accedit praeterea, quod, cum saepe lectorum fidem, & judicium appelles, praeque te feras, magnopere confidere te, ut omnes, caussa cognita, tibi assentiantur, Concinaeque, uti vocas, *imposturas* agnoscant, necesse esset omni copia argumentorum ostendere, nihil esse tibi optandum magis, quam ut tua ne perpauci quidem legant, ferantque, rebus accurate perspectis, de te, tuaque scriptione sententiam. Quam enim eos laturos putas, cum intelligent, te non modo nullam hactenus imposturam Concinae evicisse, sed ne conatum quidem evincere fuisse, quin tu ipse in magnum aliquod incideres erratum, quod nullam susciperet excusationem, & ex quo cum optima Concinae fides, tum tua in eo accusando insignis negligentia, nolo enim gravius dicere, perspici posset? Num fingo? Num mentior? Num inaniter Concinae plaudo? Vince, si potes, non saepe te Casuistarum, Theologorumve testimonia, quibus Concinae imposturam demonstrare velles, sic esse interpretatum, ut neque per-

perspicuae eorum sententiae, neque Latinae orationi tua interpretatio conveniret. Quod errati genus, si ne illi quidem, qui domi suae sibi aliquid scribat, ignosci solet, quid de illo fiet, qui ejusmodi testimoniis abutitur, ut egregii scriptoris *imposturae* accusatione fidem labefactet? De argutiis autem, & de perpetuo quodam cavillandi genere, quo vel manifesta Casuistarum peccata obtegere, vel ex Concinae verbis *imposturas* elicere conaris, quid dicam? Eritne quisquam, qui si animadvertat, te, levissima quaque de caussa, puta cum negas (pag. 124.) usurpatum ab Casuista fuisse aliquod, *non*, *conceptissime*, imposturae, aut calumniae crimen objicere; non statim intelligat, id egisse te, ut qua jure, quaque injuria Concina impostor haberetur, & non quidem accusationem pro defensione, sed defensionem pro accusatione suscepisse? Si quis est, qui hac de re post tot exempla adhuc dubitet is quae mox de Lecchio dicturus sum, diligenter expendat; nam facile fiet, ut omnem abjiciat dubitationem, cognitoque accusatorum Concinae ingenio, mihi vehementer assentiatur.

CXVIII. Inscribis igitur cap. LVII. libelli tui: *vindicantur ab invidiosa impostura PP. Lecchi, & Viva*. Nego, hos duos *De Lecchio & Viva.*

Casuistas ulla affectos injuria, ullave invidiosa impostura esse a Concina dehonestatos. Nam is Tom. *6.* pag. 13. Barbeyracum eo nomine redarguit, quod in *Tractatu Moralis Theologiae Ecclesiae Patrum* velit Augustinum id, quod ad jus naturale pertinet, ignorasse, & ignorari posse docuisse; & postquam locum Augustini, quo Barbeyracus abutitur ex cap. *26.* de Serm. Dom. in Monte descripsit: „ Textum hunc, *inquit*,
„ non opposuere neque Dallaeus, neque
„ Clericus severissimi Augustini censores.
„ Ex suis ergo laudatis Magistris, illum,
„ quemadmodum cetera adversus Patres,
„ non transcripsit Barbeyracus; sed *ex no-*
„ *stris inferioris subsellii Casuistis*, qui
„ eumdem allegant, ut juris naturae igno-
„ rantiam ex Augustini mente invincibilem
„ ostendant. Alter ex iis est P. Dominicus
„ Viva, qui in commentariis ad secundam
„ Propositionem Alexandri VIII. num. 2.
„ falso in sensu laudatum Augustini textum
„ obtrudit, ubi etiam truncatum D. Tho-
„ mae textum exhibet, ut suam roboret
„ opinionem. Alter vero P. Lecchi, qui
„ in suo opere inscripto: *Avvertenze con-*
„ *traposte all' Istoria del Probabilismo*, hunc
„ locum mihi objecit, ut id ipsum evince-
„ ret,

„ ret, quam vero irrito conatu alias osten-
„ di in libro, cui titulus: *Esplicazione di*
„ *qnattro paradossi* pag. 12. „,

Ecquid hic imposturae invenire potuisti? Nam plerosque Casuistas, ut suam sententiam: *de ignorantia invincibili praeceptorum juris naturalis* defenderent, abusos esse Augustini testimonio, quo sane abutitur Barbeyracus, tam perspicuum est, ut a nemine negari possit? Neque alienum erat ab instituto Concinae arguere inscitiam, & impudentiam Scriptoris Calviniani, qui, ut invidiam crearet Augustino, locum protulisset, de quo saepe, & multum disputatum esset a Catholicis, & in eo interpretando potius paucorum Casuistarum, quam ceterorum Theologorum judicium sequi maluisset. Nihil est igitur in Concinae oratione, quod ad invidiam Casuistis creandam pertineat.

CXIX. At sequitur, inquis, ex oratione Concinae, quod si eidem „ habenda est fi-
„ des, Barbeyracus haereticus textum
„ illum Augustini exscripsit ex nostris in-
„ ferioris subsellii Casuistis. Quorum al-
„ est P. Lecchi, alter P. Viva. Ergo
„ P. Lecchi, & P. Viva praemonstrato-
„ res fuerunt illi Haeretico, & magistri;

„ ut eo textu abuteretur contra mentem
„ Augustini, & contrà Patrem Cellier. Si
„ ita se habet res, librum suum composue-
„ rit, oportet, P. Lecchi (ut de hoc pri-
„ mum loquar) aliquot saltem dies ante
„ illum Tractatum Barbeyraci, ut eum le-
„ gere Barbeyracus, & textum Augustini
„ exscribere inde posset. Nonne? Ita
„ profecto. Bene. P. Lecchi, ut patebit
„ legentibus, librum suum edidit Anno
„ 1744. „

Satis est. Vis enim, ut concedamus, Barbeyracum, cum scripserit Anno 1728. non potuisse ex Lecchio, immo vero ne ex Viva quidem, qui eodem Anno 1728. *Trutinam* edidit, locum sumere D. Augustini, quod libenter tibi concedo. Sed quid proficis? An non alii, praeter Vivam, & Lecchium, fuerunt Casuistae, qui *juris naturalis ignorantiam* defenderent, & hoc loco Augustini abuterentur? An non scripserat ante Barbeyracum Platelius? Non scripserat Rhodes? Non scripserant alii bene multi, quos non est necesse commemorare? Hi igitur locum Augustini Barbeyraco praemonstrare potuerunt. Neque Concina scripsit, Barbeyracum ex Viva, & Lecchio, *sed ex nostris inferioris Subselli Casuistis* accepisse.

Ex

Ex quo intelligere poteras, eum non nominare quemquam, sed genus illud scriptorum indicare, qui locum Augustini Barbeyraco praemonstraverunt.

At Concina, inquies, statim nominat Vivam, & Lecchium. Quidni? sunt enim etiam hi duo ex eorum Casuistarum numero, qui hoc loco Augustini pro juris naturalis ignoratione depugnant. Sed hic adverte animum; nam eos ideo nominavit, ut moneret lectorem, jamdudum sibi cum Lecchio de hac ipsa Vivae doctrina, & testimonio Augustini fuisse altercationem, non ut ab his locum, de quo est sermo, a Barbeyraco sumptum fuisse demonstraret; nam si quemquam nominatim indicare voluisset, ex quo verisimile esset Barberyacum locum Augustini accepisse; non deerant Platelius, Rhodes, & alii plerique, quos impune nominaret. Nihil enim ad conflandam hanc invidiam Casuistis, quando tibi videtur hoc animo egisse, intererat, utros nominaret: Platelium ne, an Vivam: Rhodesium ne, an Lecchium? Neque vero tam erat hujus controversiae imperitus, ut qui primum loco Augustini abusi essent nesciret.

Quare autem Concina Sixtum Senensem, cui videtur (lib. 5. annot. 89.) Au-

gustinus huic ignorantiae juris naturalis favere, non nominarit; haec caussa est, quod is Casuista non esset, neque necesse esset, eum a Concina nominari. Nam cum divinare non posset ecquem tandem ex iis, quibus haec interpretatio loci Augustini probaretur, Barbeyracus potissimum legisset, constaret tamen inter omnes, plures esse Casuistas, qui eam pugnacissime defenderent, recte scripsit, id quod erat simillimum veri, Barbeyracum de moribus disserentem, non ex interprete sacrorum Bibliorum, sed *ex nostris inferioris Subselli Casuistis*, qui de moribus agerent, eam accepisse.

Quando tamen Sixtum Senensem obiecisti, disce ex Sixto Senensi quid intersit inter Dominicanos, & Probabilistas. Illum nemo sequitur; quinimmo fassus est Milante, atque ego fateor, hallucinatum esse in loco Augustini interpretando. Quid tu? Quid tui Probabilistae? Platelius ecce qui peccat, & locum Augustini male interpretatur. Num finis in Platelio factus est errandi? Nihil minus. Platelium Rhodes, Rhodesium Viva, Vivam Lecchius, Lecchium, ut alios omittam, sequitur Nocetius. Quid istuc est, nisi alium ex alio errorem accipere, & continenter propagare?

Cum

Cum nos ita facere reperies, tum Sixtum Senensem objicito.

Noli mirari quod Lecchium te sequi dixerim. Quid enim scribis in extremo capite? *Ego non disputo, recte ne, an secus Augustini mentem interpretentur Sixtus Senensis, Lecchius, & Viva; in has me difficultates non induo; quaestiones non resolvo*. Quid tibi velis, cum ita scribis, dixi in extrema Epistola quinta. Nam cum habere te putas, quo tuorum opiniones defendas, aut cum eaedem tolerabiles tibi videntur, tum libenter disputas, *& quaestiones resolvis*; cum deterrimae sunt, tum disputare te nolle dicis, tum assensionem cohibes. Noli sic agere. Nam primum ferri potest, alterum omnino non potest: non licet enim Theologo, cum opinio falsa est, esse suspenso.

CXX. Venio ad Lessium, quem cap. XLII. libelli tui adscriptum a Concina fuisse doles in numerum eorum, qui materiae parvitatem in genere luxuriae defendunt. Hanc quaestionem instituit Concina Tom. IV. pag. 444., enumeratque instituto suo hujus sententiae fautores hoc modo: „ Adfirmat Pater Thomas Sanchez lib. IX. de Matrim. „ disp. XLVI. num. 9. item num. 39. In po„ steriori tamen editione istius sententiae *De Lessio.*

„ re-

„ retractatio legitur. Caramuel in Theol.
„ Regul. disp. LXIX. num. 1052., & seq.
„ Escob. Theolog. Moral. tract. 1. exam. 8.
„ cap. 3. Lessius lib. IV. de Just. cap. 3. dub. 8.
„ num. 49. (59.) Aravio in 1. 2. D. Thomae
„ quaest. LXXIV. art. 10. dub. ult. Zanard.
„ in Direct. part. 1. cap. XLI. quaest. XXVIII.,
„ aliique non pauci „.

Eo locum integrum descripsi, quod animadvertas velim, non esse praeteritos duos Dominicanos Aravium, & Zanardum. Id quo pertineat non ignoras. Itaque videamus quam ob rem doleas, non esse praeteritum Lessium: „Hic negat, inquis, placere sibi ejusmodi sententiam. Nam lib. 4. de Just. cap. 3. dub. 8. num. 59. scribit: *Haec sententia* (de parvitate materiae in genere luxuriae) *videri possit alicui* (non dicit sibi) *probabilis*, *& speculative vera. Unde in eam valde inclinat Navarrus, eamque tenet Martinus de Magistris, & aliqui Recentiores .... Verum communior sententia est in istis esse peccatum mortiferum; quae & mihi probatur; tum quia communior; tum quia tutius est, ut omnia ista quam maxime vitentur* „.

Ludificaris lectores, mi Noceti, neque satis animadvertis quid deceat vindicem ve-

veritatis. Auferas licet illam parentesim, *de parvitate materiae in genere luxuriae*; non enim respondet Lessius his verbis quaestioni de parvitate materiae in genere luxuriae, sed huic alteri num. 58. propositae.

„ Sed difficultas est de osculo, quatenus ipsum per se est actus delectabilis „ carni, & remote disponens ad seminatio- „ nem: utrum si quis hac ratione illo utatur, non intendens ulteriorem voluptatem, quam quae praecise ex ipso osculo „ nascitur peccet mortifere, seposito periculo pollutionis, & ulterioris consensus „.

Huic, inquam, quaestioni respondet Lessius iis verbis, quae abs te prolata sunt, negatque eorum sibi placere sententiam, qui ejusmodi osculum leve peccatum esse defendunt. Sed cum initio tria argumenta, quibus haec sententia probari posset instituto Scholae sibi proposuisset, in altero solvendo labitur, parvitatemque materiae in hoc genere peccati admittere non dubitat. Ne nega; nam cum alterum argumentum esset hujusmodi: „ Secundo: in aliis peccatorum generibus dantur non solum peccata gravia, sed etiam levia, ratione parvitatis materiae, ut patet in furto, in

„ de-

„ detractione &c...... cur non etiam in
„ peccatis luxuriae detur parvum ratione
„ materiae, quod non sit nisi veniale,
„ etiamsi cum plena deliberatione fiat ? „

Hoc modo respondet : „ Ad secundam :
„ etiam hic forte potest dari materia parva,
„ ut si contactus sit adeo levis, & brevis,
„ ut non sit aptus notabilem commotionem
„ excitare. Dici etiam potest, etsi in con-
„ tactu non sit materia levis, posse tamen
„ eam dari in visu, & hoc sufficere „.
Quid ais ? admittit Lessius, nec ne, quaedam peccata esse levia in genere luxuriae ?

CXXI. Non autem illud modo intelligi volo, Lessium ita sentire; sed etiam nihil amplius dicere, aut velle quam quod hoc loco docent ceteri hujus sententiae fautores. Audi nostrum Aravium 1.2. quaest.74. art. 10. dubio ultimo. „ Consequens ta-
„ men (dari parvitatem materiae in genere
„ luxuriae) esse falsum ostendunt contra
„ Cajetanum, & Tabienam in locis citat.
„ Navarro in summa cap. 14., & Sanchez
„ loc. cit., num. 16. ea ratione demonstra-
„ tiva : quia possunt hujusmodi tactus esse
„ leves, & leviter habiti, etiamsi eorum
„ delectatio per se intendatur ab operante,
„ & alias sit turpis, & libidinosa : tamen
„ est

„ est modica, & levis materia in genere
„ turpis delectationis: sed in aliis generi-
„ bus peccatorum mortalium ex obiecto
„ modica, & levis materia excusat actum
„ a culpa mortali: ergo pariter in nostro
„ casu „.

Ecce tibi primum id, quod maxime volo, rationem, qua utuntur hujus sententiae fautores, nihil sane ab ea, qua utitur Lessius, discrepantem: deinde lapsum eodem errore Thomistam, ideo quod Tabienae, & & Cajetano Sanchesium, & Navarrum temere praetulerit. Quod sane miror; nam Cajetanus doctrinam D. Thomae, & praesertim 2. 2. quaest. 64. articulum quartum omnium optime, verissimeque explicavit. Scio, Sanchesio visum esse D. Thomam *lubrice* in hoc articulo, vel alibi esse locutum; sed utinam in hoc genere quaestionis fuisset ipse pari, ac fuit Divus Thomas, cum modestia orationis, tum castitate, & severitate doctrinae: atque utinam ad eum, ejusque similes Casuistas legendos nunquam accessissent aliqui Dominicani: omnino in laxas opiniones non incidisent. Nam etsi fateor, errasse quandoque veteres Thomistas, saepius tamen, inque errores graviores incidisse video eos, qui saeculo superiore ae-

qua-

qualium Casuistarum lectione, plusquam decebat Dominicanum, delectati sunt. Nam cum Candido, Serra, Aravio, Zanardo, La-Crus non habemus deteriores; tum nihil in his frequentius occurrit, quam eorum, qui tum celebrabantur, Casuistarum nomina, & auctoritas. Sed si nihil admirati essent, si nullum, praeter Divum Thomam, morum Magistrum requisissent; neque tam laxis opinionibus libros suos inquinassent, neque commisissent, ut majorum suorum dissimiles haberentur.

CXXII. Venio ad Escobarium, quem perinde ac Lessium inter hujus sententiae fautores referunt Salmanticenses tract. XXVI. cap. 3. punct. 4. num. 79. hoc modo: *Escobar Theolog. Moral. tract. 1. exam. 8. cap. 3. num. 75. & alii*: cujus tamen loci haec est sententia. „Datur ne in rebus venereis par-„ vitas materiae? Minime. Cum enim „ nulla sit tam exigua fornicatio, quin sit „ peccatum mortale; & delectatio sequa-„ tur naturam actus, omnis delectatio mo-„ rosa in hac materia erit peccatum morta-„ le „. Ita quidem scribit Escobarius, sed tamen ibidem, nec non lib. 33. Theolog. Moral. cap. 9. num. 66. pleraque docet huic sententiae parum consentanea, ob quae fortasse

tasse Salmanticenses sententiae ajentis fautoribus annumerandum putarunt: alioquin non video, qui scribere potuerint ajenti sententiae adhaerere eum, qui negantem tam aperte defendit: nisi forte, cum multi fuerint post natum Probabilismum, qui sententiam de parvitate materiae in genere luxuriae vehementer adamarint, suspicari licet, ex eorum numero fuisse Escobarium; sed eam postea vel ipsum correxisse; vel, ut ex operibus Sanchesii, ita ex posterioribus hujus operis Escobarii editionibus, quas Salmanticenses non viderint, aliorum opera esse sublatam. Utcumque tamen se res habeat non magnopere contendam. Dabo tibi ex eorum numero, qui sententiam defenderunt de parvitate materiæ in genere luxuriae eximi oportere Escobarium. Illud tamen miror, tamdiu vos eum indefensum reliquisse, & longo tot annorum intervallo vestrum neminem extitisse, qui Salmanticensium errorem emendandum curarit. Itaque magnam gratiam Concinae habere debetis, qui vos ad hoc studium excitavit, in eamque cogitationem adduxit, ut tandem vestros Casuistas, qui falso ab aliis vocarentur in subsidium falsarum opinionum, vindicandos putaretis. Unum doleo, quod valde exiguum laboris ve-

vestri fructum sitis relaturi ; eo quod , ut ex hac mea defensione intelligo , valde pauca sint , in quibus aliquis Leandri , aut Salmanticensium error deprehendatur . Quamquam non erat tam longa Concinae defensione opus . Nam eum non calumnia , sed indiligentia Salmanticensium , si modo hi errarunt , lapsum fuisse certum est . Ac non eguisset ille mendacio , si odio incitatus ad scribendum fuisset . Si enim laxas opiniones Escobarii numerare instituisset , diu quidem ei laborandum fuisset . Est enim Escobarii haec summula plena monstrosarum opinionum . Id , si negas , promitto tibi , atque recipio , me allatis Escobarii ejusdem pluribus locis demonstraturum .

De Lessio iterum.

CXXIII. Agis iterum de Lessio cap. LXVI. Is lib. 1. cap. 20. dub. 14. quaestionem instituens : *Utrum ratione carentiae pecuniae , seu obligatione non repetendi ante certum tempus aliquid exigi possit ?* tria praeponit , quibus effici videtur , aliquid exigi posse . Tertium est num. 123. „ quia sicut aliis re-
„ bus , & oneribus potest aliquod praetium
„ imponi , ita etiam oneri carendi sua
„ pecunia tanto , vel tanto tempore . Cum
„ enim pecunia sit instrumentum negotian-
„ di , & privare se instrumento suae artis
„ sit

„ sit pecunia aestimabile, cur non etiam
„ mercatores poterunt carentiae pecuniae
„ pretium aliquod communi consensu im-
„ ponere, praesertim si ratio boni commu-
„ nis id postulet „ ?

Hanc Lessii propositionem retulit Concina Tom.vii. pag.66. in Catalogum earum, quae dignae videntur damnatione; quamobrem eidem vehementer succenses,eumque accusas *imposturae* propterea quod perspicuum esset,Lessium ea praeponere argumentandi causa, statimque dissolvere, & negantem amplecti sententiam. Ait enim:„Hae ra-
„ tiones videri possint alicui probabiles,po-
„ tissimum tertia .... nihilominus sentio,non
„ esse tam laxas habenas mercatoribus dan-
„ das, nec illis concedendum, ut quid-
„ quam supra sortem exigant, si illis ex ca-
„ rentia pecuniæ nullum lucrum cessat,nul-
„ lum periculum impendet, nullum incom-
„ modum metuitur. Primo quia sententia
„ illa videtur nova, nec illam apud auctores
„ reperio; ac proinde in re morali tanti
„ momenti non facile admittenda. Deinde
„ quia carentia pecuniae, & obligatio non
„ repetendi ante aliquod tempus est quid
„ intrinsecum rationi mutui,(alioquin mu-
„ tuum non differret a precario) unde si

,, mutuum debet gratis fieri, ut constat ex
,, supradictis, nihil pro hac carentia, vel
,, obligatione petendum est. Ex hoc fun-
,, damento elicienda est responsio ad pri-
,, mum, & secundum argumentum. Ad
,, tertium (propositum damnationi sub no-
,, mine Lessii) responderi potest, tale pre-
,, tium imponi a mercatoribus non posse,
,, quia carentia pecuniae non est pretio ae-
,, stimabilis, nisi ratione alicujus incom-
,, modi, vel periculi conjuncti ,,.

Hac Lessii oratione descripta, multa inveheris in malam Concinae fidem, qua Jesuitarum describit opiniones: tum lectores, instituto tuo, mones hanc opinionem non a Lessio, sed a duobus Dominicanis, Ledesma part. 2. summ. tract. 8. cap. 33. concl. 4. & Serra in 2. 2. quaest. 78. art. 2. esse defensam, idque Concinam dissimulare.

CXXIV. Primum nego Concinam horum duorum dissimulare sententiam, & eos opportuno loco non nominare. Nam videre poteras eum pag. 400. cap. 13. ubi quaerit: *An pro voluntate mutuandi, aut ad mutuum non repetendum infra praefinitum tempus liceat quid exigere supra sortem?* num. 2. ita scribere: ,, secunda quaesiti pars suos ha-
,, bet patronos. P. Diana Tom. vi. tract. iii.
,, re-

resol. 45. pro affirmante opinione citat Ledesmam, & Celestinum „ . Tum in extremo capite pag. 404. ita concludere: „ ultimo loco adnotare lubet P. Dianam „ summa injuria adscribere hanc proscri- „ ptam doctrinam discipulis Sancti Thomæ. „ Non nego, Thomistas aliquos, Serram, „ Zanardum, Ledesmam, La-Cruz, alios- „ que laxas docuisse opiniones. Sed impo- „ stura nimis audax est hanc dicam impin- „ gere Sancti Thomae discipulis indefinite, „ cum veri Thomistae sint strenui doctrinae „ sanioris assertores, & vindices „.

Thomistas strenuos esse sanioris doctrinae defensores, hujusque sententiae fautores temere ab Diana appellari verum est. Neque refert si dicatur, Dianam, quod scribit de Thomistis, forte a Ledesma accepisse, qui part. 2. tract. 8. cap. 33. concl. 4. sua proposita sententia ita concludit: *ita passim Thomistae*, non, inquam, hoc refert, quia, ut dixi supra contra Moyam, cum opinio falsa est, non est continuo adjungenda fides Casuistae, qui eam insigni alicui Theologo, vel multitudini tribuit Theologorum. Sed redeo ad propositum. Non occultavit igitur, ut vides, auctor Theologiae Christianae horum Dominicanorum sententiam.

 Quid

Quid si occultasset? an id studio partium esset assignandum? Non puto. Nam cum eorum Casuistarum doctrinam, qui post damnatam ab Alexandro VII. proposit.42.: *licitum est mutuanti aliquid supra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque certum tempus* scripserunt, neque tamen ab errore sese omnino removerunt, hoc loco praesertim confutare vellet, nemini mirandum esset, si quae scripta a Casuistis essent ante Alexandri Decretum, aut obiter attigisset, aut omnino praeteriisset.

CXXV. Verum redeo ad Lessium. De eo sic habeto: recte, nec injuria hanc ejus propositionem in *Catalogum damnabilium* esse relatam. Quid? Sententiam proponit, quae pugnat cum Evangelio, quam ipse novam esse concedit, neque se apud ullos auctores invenisse fatetur, & tamen respondet: non esse facile admittendam. Quis ferat Theologum, qui, si quaeratur, an liceat *videre mulierem ad concupiscendum*, aut aliud ejusmodi in doctrina morum novum, atque inauditum, frigide respondeat, sententiam ajentem non esse facile admittendam, rationesque, quibus ea niti videtur, probabiles esse concedat? Non tu ferres, opinor, hunc

Theo-

Theologum, & feres Lessium utentem hoc genere responsionis; aut eum, qui non esse ferendum putet, damnabis imposturae?

Sed ais pag. 162. „ neque dicat hic „ P. Concina, Lessium saltem exhibere, ut „ probabilem sententiam oppositam. Non „ inquam, hoc dicat „. Sero post tempus Concinam mones. Quod eum dicere nolles, jam dixit. Dixit autem? Immo etiam scripsit eodem Tom. pag. 400. num. 2. in quo sic est: „ P. Thomas Tamburinus lib. IX. „ tract. 1. cap. 5. §. 2. .... refert Leonar- „ dum Lessium lib. II. cap. XX. dub. 4. nega- „ tivam propugnantem, sed simul ajentem „ affirmativam videri alicui non improba- „ bilem. Quid inde? *Dubia igitur res est*, „ inquit Tamburinus. Si dubia res est, re- „ sumet probabilista quispiam, melior est „ conditio possidentis „. Intellextin? Non solum Concinae, sed etiam Tamburino visum est, sequi ex oratione Lessii sententiam ajentem esse probabilem.

Sed quare negas, aut Concinae dicendum non esset, id esse consequens ex oratione Lessii? „ Primum, inquis, quia Lessius non „ dicit: *Hae rationes probabiles sunt*: *Hae* „ *rationes sunt mihi probabiles*: *sed videri*

 pos-

„ *possint alicui probabiles* . Quod est conce-
„ dere illis non veram, & solidam proba-
„ bilitatem; sed solum speciem aliquam, &
„ & fucum probabilitatis, ob quem alicui
„ non tam attente res consideranti apparere
„ posſunt probabiles „.

Sit ita, ut dicis. Sed scire velim, an qui ista non cogitat dum legit Casuistas, neque putat, eos, cum quaedam aliis probabilia, videri posse scribunt, de iis loqui, qui rem parum attente considerant, arguendus tibi videatur imposturae? Deinde cur Tamburino, ut dixi, visus est Lessius eam opinionem censere probabilem? Cur Sporerius ne post decretum quidem Alexandri VII. veritus non est tract.VI. cap.IV. sect. 3. §.5. n.71. eandem sententiam ob has ipsas rationes appellare probabilem? An isti eas parum attente considerarunt? Intellige quid est. Quum Lessius in novam, & a nemine, ut ipse fatetur, antea traditam opinionem incidisset, non eam quidem continuo probandam censuit, sed jacere voluit quaedam quasi semina probabilitatis, quae opportuno tempore maturescerent. Sed quia periculosum, & invidiae obnoxium est aliquid novum introducere, praesertim in ea disciplina, in qua vetera quaeque omnium optima a sapienti-
bus

bus aestimantur, idcirco cauto initio opus est. Fingendum alios ita judicare, adhibendae verborum ambages, quibus & nova opinio improbari videatur, & aliis nonnulla ad eam tuendam rimula aperiatur: „ Sic enim (inquit ipse lib.II. cap.XXII. dub.10.pag.25. n.56.edit.Lugd.Anno 1653.),„loqui solemus „ ad declinandam invidiam, quando aliquid „ novi; & receptae opinioni adversum ex „ nostra sententia proferimus „. Itaque cum sexdecim in hunc catalogum, Lessii propositiones relatae sint, noli quaerere, ut numerus minuatur; recte enim haec quoque in eum relata est.

CXXVI. Ejusdem Lessii causam agis cap. LXX. Concinaeque dicam impingis, propterea quod de eo scripsit Tom.VII.pag.161. „ Verum *P. Lessius* non modo S.Augustini do„ctrinam manifeste deludit, & cavillatur, „ sed falsam doctrinam etiam *imponit San„cto Thomae* ibidem num.52.ubi haec scri„bit. Dico primo: si solum jus naturae „ spectetur, acceptum ob turpem causam, „ seu propter opus, quod est peccatum, „ opere impleto, non necessario est resti„tuendum, sive illud opus sit contra justi„tiam, sive non. Colligitur ex D.Thoma „ quaest. 32. art. 7. in corp., & quaest. 62. *De Lessio tertio.*

„ art. 5. ad 2. ubi docet, poſse retineri id,
„ quod propter opus malum eſt acceptum,
„ nec diſtinguit, ſit ne opus illud contra ju-
„ ſtitiam, an non. Attente legi loca cita-
„ ta: *& verba, quae P. Leſſius S. Do-*
„ *ctori tribuit*, non inveni. Porro quam
„ dignum cenſura ſit, affingere pro arbi-
„ trio S. Eccleſiae Doctori *verba*, ut in
„ propriam ſententiam concedere lectori-
„ bus perſuaſum fiat, judicent aequi rerum
„ arbitri. Immo, quod plus eſt, non mo-
„ do verba non reperi, ſed neque doctri-
„ nam: cum utrobique S. Thomas ſolum
„ meretricibus retinere pretium turpe con-
„ cedat, limitibus tamen adjectis „.

Utramque accuſationem, quae in hac Concinae oratione continetur, falſam eſse contendis. Nempe negas Leſſium ea verba: *poſſe retineri id, quod propter opus malum eſt acceptum*, aut ullam falſam Divo Thomae adfingere doctrinam.

Nam quod attinet, inquis, ad primum:
„ verba Leſſii, ut audiſtis, haec ſunt, *ubi*
„ *docet poſse retineri id, quod propter opus*
„ *malum eſt acceptum*. Quae verba attri-
„ buit hic S.Thomae P.Leſſius? Si P.Leſ-
„ ſius ita loqueretur, *ubi S. Thomas haec*
„ *habet, ubi ſcribit, ubi dicit, ubi eſt, &*
ſimi-

„ *ſimilia*, tunc certe ſignificaret, ſequen-
„ tia ea verba: *poſse retineri id, quod pro-*
„ *pter opus malum eſt acceptum*, eſse con-
„ cepta verba Sancti Thomae. Cum vero
„ dicat *ubi* docet, quomodo probat Pater
„ Concina Leſſium ſignificare voluiſse, ſe-
„ quentia illa verba eſse concepta verba
„ Sancti Doctoris „? Ex eo probat, quod illa verba in Leſſii operibus rotundo, ut vocant, charactere ſunt exarata; quem ſcribendi modum tum adhibere ſolemus, cum alterius verba, vel orationem deſcribimus. Quare non injuria doluit auctor Theolog. Chriſt. tributa a Leſſio fuiſse S. Thomae verba, quae S. Thomae non eſsent.

CXXVII. Atqui tribuit etiam falſam doctrinam, & male ſane ob eam cauſſam de tanto Doctore meretur: ſed te prius audiamus pro Leſſio diſserentem. „ Quod attinet, in
„ quis, ad ſecundum; afferam prius verba
„ S. Doctoris; & deinde videbimus, utrum
„ probabilius ſit Sanctum Thomam loqui
„ univerſaliter, & ſine diſtinctione, ut
„ dixit P. Leſſius, an concedere ſolum me-
„ retricibus retinere pretium turpe, ut
„ contendit P. Concina.

„ Verba S. Doctoris in primo loco citato
„ a Leſſio haec ſunt: *tertio modo eſt* aliquid
„ illi-

,, illicite acquisitum, *non quidem quia ipsa*
,, *acquisitio sit illicita; sed quia id, ex quo*
,, *acquiritur, est illicitum: sicut patet de*
,, *eo quod mulier acquirit per meretricium:*
,, *& hoc proprie vocatur turpe lucrum. Quod*
,, *enim mulier meretricium exerceat, tur-*
,, *piter agit, & contra legem Dei. Sed in eo*
,, *quod accipit non injuste agit, nec contra le-*
,, *gem, unde quod sic illicite acquisitum est,*
,, *retineri potest.*

,, Verba in secundo loco haec sunt:
,, *alio modo aliquis illicite dat, quia pro-*
,, *pter* rem illicitam *dat, licet ipsa datio*
,, *non sit illicita*: sicut *cum quis dat mere-*
,, *trici propter fornicationem. Unde & mu-*
,, *lier potest sibi retinere, quod ei datum est:*
,, *sed si superflue ad fraudem, vel dolum,*
,, *extorsisset, tenetur eidem restituere.*

,, His positis, ita argumentor. San-
,, ctus Thomas initio utriusque textus lo-
,, quitur indefinite de *acquisitis* illo tertio
,, modo, *est aliquid illicite acquisitum, dat*
,, *propter rem illicitam*, & quod est sic illi-
,, cite acquisitum docet retineri posse.
,, Jam sic. Tota ratio coarctandi doctrinam
,, Angelici ad solas meretrices, esset, quia
,, solas meretrices affert in exemplum: *in*
,, *exemplum*, inquam, ut patet ex illa

,, par-

„ particula *sicut*. Atqui haec ratio nulla „ est: passim enim fit, ut post traditam „ doctrinam aliquam indefinitam, afferamus „ claritatis gratia exemplum aliquod „ particulare, quin tamen ad illud solum „ doctrinam coarctemus: immo eo ipso „ quod aliquid afferimus in *exemplum*, satis „ clare indicamus, nos non loqui de „ illo tantum, sed de pluribus aliis aliqua „ ratione illi similibus. Ergo sine ullo fundamento „ P. Concina D. Thomae doctrinam „ coarctat ad solas meretrices, & omnino „ gratis imponit hoc secundum crimen „ P. Lessio „.

Nego, Noceti, te hilum proficere: nego, & valde miror, quod saepe negare debeo, te, uti pollicitus eras, ea in tuis accusationibus proferre, quae *lectores minima mentis intentione, atque uno quasi oculorum conjectu videre possent*: ejusmodi enim non sunt tot argutiae, quibus libellum tuum refersisti, quibusque, si quid efficeres, summum, inscitiae, non malae fidei adversarium convinceres.

Ex me igitur disces, quo genere argumentationis utendum sit ei, qui alium malae fidei accusare velit. Ajo, istum P. Lessium falsam D. Thomae tribuere do-

doctrinam : teque illi conſentientem eſſe. Nam quid Leſſius ſcribit loc.cit.?„Si ſolum, „ inquit, jus naturae ſpectetur, acceptum „ ob turpem cauſſam, ſeu propter opus, „ quod eſt peccatum, opere impleto, non „ neceſſario eſt reſtituendum, ſive illud „ opus ſit contra juſtitiam, ſive non. Col- „ ligitur ex D. Thoma quaeſt. 32. art. 7. „ in corp., & quaeſt. 62. art. 5. ad 2. ubi „ docet, *poſſe retineri id, quodpropter* „ *opus malum eſt acceptum*. *Nec* diſtinguit „ ſit ne opus illud contra juſtitiam, an „ non „.

Itaque ſi D. Thomas non ſolum hoc totum accurate diſtinguat, ſed etiam ea, quae ſunt parta eo genere maleficii, quo juſtitia violatur,diſerte neget retineri poſſe; nihil erit cauſsae,cur falſam a Leſſio D.Thomae tribui doctrinam, & eo nomine jure a Concina neges fuiſse reprehenſum.

Animadverte jam an D. Thomas priori loco accurate diſtinguat: „ Reſpondeo „ dicendum, quod tripliciter poteſt aliquid „ eſſe illicite acquiſitum .... alio vero mo- „ do eſt aliquid illicite acquiſitum, quia il- „ le quidem, qui acquiſivit retinere non „ poteſt, nec tamen debetur ei, a quo ac- „ quiſivit; quia *ſcilicet contra juſtitiam ac-*

ce-

„ *cepit*, *& alter contra justitiam dedit*, sicut
„ contingit in simonia (memento hoc esse
„ exemplum) in qua dans, & accipiens
„ contra justitiam legis divinae agit: unde
„ non debet fieri restitutio ei, qui dedit,
„ sed debet in eleemosynas erogari, & *eadem*
„ *ratio est in similibus*, *in quibus scilicet &*
„ *datio*, *& acceptio est contra legem* „.
Haec ille, & hic erat locus, qui proferri debuerat, non is, qui sequitur, de quaestu meretricis, aut hujus simili: *tertio modo est aliquid illicite acquisitum &c.* quem supra descripsisti: si autem non distinguit, ut ait Lessius, D. Thomas, nec quidquam interesse putat, cum de male partis retinendis, aut restituendis agitur, utrum maleficium, ex quo lucrum quaeritur, justitia violetur: cur male parta accurate in tria genera distribuit? cur secundum genus in iis constituit, quorum alter *contra justitiam* accepit & alter *contra justitiam* dedit: cur denique prolato simoniae exemplo concludit: *& eadem ratio est in similibus*, *in quibus scilicet*, *& datio*, *& acceptio est contra legem*.

Nihil dico, de altero quaest. 62. loco, in quo D. Thomas non minus accurate, quam in eo, quem protuli, maleficium a maleficio distinguit, quaestumque ex eo factum, quod

quod justitiae repugnat, negat esse retinendum.

CXXVIII. Quod autem scribis pag. 172. sententiam Lessii ab omnibus fere Theologis, imprimisque a Cajetano, & Antonino defendi, ad rem non attinet. Non enim id agitur, utrum Lessii sententia ab omnibus fere Theologis defendatur; sed utrum defendatur a D. Thoma, a quo Lessius defendi scripsit. Itaque nihil dicam de omnibus Theologis, neque enim est otium, ut omnes expendam. At de Antonino, & Cajetano, quod te ex Lessio accepisse intelligo, certe nego. Adfers tu quidem utriusque testimonium Cajetani ex commentationibus alterius loci ,, non refert in proposito, an propter fornicationem, an propter *adulterium*, aut ,, aliam speciem luxuriae detur: *& similiter est de aliis malis servitiis* ,,. Antonini autem ex part. 2. tit. 2. cap. 5. ubi sic ,, de illicitis ergo tertio isto modo secundum Thomam, & Raymundum, potest dari eleemosyna, & potest etiam retineri, nisi superfluum per fraudem, & dolum mulier extorsisset, quia illud esset restituendum. Et ad hoc pertinet *lucra facta ex histrionatu illicito, ex duello .... ex arte mathematica, seu divinatoria* ,,.

Sed

Sed manifestum est, utrumque sequi D. Thomam, sermonemque habere in his testimoniis solum de quaestu meretricis, quam quidem *turpiter facere*, ut ait Ulpianus, *quod sit meretrix*; *non tamen turpiter accipere; quum sit meretrix*, non hi duo modo, sed omnes omnino fatentur.

Igitur ea loca consideranda erant, vel si considerasti, proferenda, in quibus cum justitia laeditur, quaestum retineri non posse decernunt. Nam de eo Antoninus loc. cit. ita docet: „ Si pecunia data fuit judici ad „ eum corrumpendum, vel testi ad falsum „ testimonium dicendum, vel advocato ad „ injuste advocandum, illi datori reddi non „ debet, qui turpiter dedit, nec sibi retinere potest, sed pauperibus elargiri, vel „ illi in cujus damnum, vel injuriam data „ est „.

Quid clarius? Quid ad tuam, & Lessii confutationem luculentius dici poterat? De Cajetano autem ne Lessius quidem ad judicem quod attinet, negat secum repugnare. Scribit enim loc. cit. „ notandum tamen est „ Covarruviam, & Cajetanum excipere id, „ quod acceptum est a judice, ut injustam „ sententiam ferat hoc enim putat jure „ naturae esse restituendum, quia injusta sen-

„ ſententia & perverſio judicii, non eſt res
„ vendibilis „.

Sic eſt; nam Cajetanus in commentationibus prioris loci ita differit:„ & haec eſt
„ differentia inter emere, & vendere in ſi-
„ monia, & meretricio; nam in meretri-
„ cio res vendita eſt uſus venereus &c.,
„ qui etſi ſit ſecundum ſe malus, non tamen
„ conſtituit venditionem malam, & hoc
„ quia eſt materia vendibilis. In ſimonia
„ autem res vendita eſt res ſacra, quae eſt
„ invendibilis, & propterea conſtituit ven-
„ ditionem injuſtam. Et ſimile eſt in ſub-
„ verſione juſtitiae. Non enim eſt vendibi-
„ lis injuſtitia „.

Nunc conſideres velim quanta fuerit Leſſii negligentia in ſententiis, non dico mediocrium Caſuiſtarum, ſed magnorum Theologorum expendendis, aut referendis. Nam primo verba, quae non ſunt D.Thomae ita deſcribit,ut D.Thomae eſſe videantur,neque certe habes,quo eum excuſare poſſis,niſi hunc errorem magis ei,qui editioni præfuit,quam Leſſio eſſe tribuendum; deinde vocare non poterat in ſubſidium ſuae opinionis, praeter Divum Thomam, Antoninum, & Cajetanum, qui cum eo aperte diſſentiunt. Tertio non apparet,cur primo Cajetanum eſſe,

ſibi

sibi consentientem dicat, quem postea in eo, quod attinet ad justitiam, contrarium sibi esse fatetur: nam cum de justitia sit omnis controversia, si cum eo diffidet hac in re, quid est, in quo cum eo consentire possit? Denique animadvertere debuerat, Cajetanum, quem sibi adversari fatetur, interpretem esse Divi Thomae, proindeque existimare, aut saltem suspicari, an cum exponeret quid differat inter quaestum meretricis, & eum, qui fit a Judice ob latam injustam sententiam, similem D. Thomae doctrinam explicaret. Haec omnia peccavit uno loco Lessius, quem sequi errantem maluisti, quam non accusare imposturae eum, a quo merito esset reprehensus.

CXXIX. Sequitur cap. LXXIII. quod ita inscribis: *Restituitur suae sinceritati sententia Molinae, Lessii, Rebellii, & de Lugo*. Videamus ecquid horum Casuistarum sententiae fuerit detractum. Concina tom. VII. pag. 281. „ Peccant, inquit, Monachi, & Clerici si propriis manibus negotiationi pecunias exponant. Secus, si has pecunias dent mercatoribus, qui propriis eas immisceant, & negotientur, & lucra cum Clericis dividenda assequantur. Ita docent Molina tom. II. tract. II. disp. CCCXLII. Lessius *De Lessio quarto.*

S

„ ſius lib. II. cap. XXI. dub. I. n. 26. (debuit
„ dicere 6.) Rebellus lib. IX. quæſt. ult. ſect. 2.
„ Lugo diſp. XXVI. ſect. 3. num. 36. . . . . Di-
„ ſtinctiuncula invecta : *per ſe ipſos , & per*
„ *alios , arbitrarium commentum eſt ad le-*
„ *gem eludendam* ; quodque cum legis ſpi-
„ ritu hoſtiliter pugnat „ .

His autem deſcriptis : „ non ita do-
„ cent , inquis , ſed minus ſincere refertur
„ eorum ſententia , & depingitur invidio-
„ ſior , quam ſit . Ratio eſt . Quia ille mo-
„ dus loquendi *non peccant* indefinitus , &
„ illimitatus, ſignificat,eos Clericos immu-
„ nes eſse ab omni prorſus peccato ; & ita
„ doceri a laudatis auctoribus „ . Nego . Nam
Concina ſcripſit hoc modo : *peccant Mo-
nachi , & Clerici , ſi propriis manibus ne-
gotiationi pecunias exponant . Secus , ſi
has pecunias dent mercatoribus* . In qua
oratione quemadmodum verba : *peccant Mo-
nachi*, intelliguntur de peccato contra legem
negotiandi ; ita particulam *ſecus* de eodem
peccato intelligi convenit . Quandoquidem
hanc vim habet , ut horum Theologorum
ſententiam exponat , quae eſt, ea lege non
impediri Clericos , & Monachos , quominus
per alios negotientur. Nihil autem attinuit,
vel ſyllabam ſcribere de levi peccato , quod
iidem

iidem, Clericos, & Monachos, si isto modo negotientur, admittere concedunt, & prolixis eorum testimoniis ostendere laboras, propterea quod nulla de eo esset controversia; atque ego expecto, ut, si forte de Deo quinto quoque anno diligendo, aut de aliis ejusmodi Casuistarum sententiis, quae pertinent ad spem, & fidem Christianorum aliquando sermo erit; illud opponas, eos concedere, esse Deum; idque a Concina fuisse praetermissum.

Sed quia defenditur haec opinio a duobus Dominicanis Johanne Tabiensi,&Fumo, sedulo lectorum fidem imploras „ ut commiserationem aliquam adhibeant Jesuitis, si hos magistros secuti sunt; praesertim cum magistrorum sententiam discipuli temperaverint „. De hoc temperamento valde dubito; nam cum tui nihil amplius doceant,quam ne istam quidem negotiandi rationem Clericos, aut Monachos decere, *nisi justa aliqua causa*, ut loquitur Lessius, excuset, ac proinde si justa causa excuset, ne leviter quidem eos peccare putent, nostri autem honestum finem hujus negotiationis requirant, fit ita, ut nihil inter eos interesse existimem.

CXXX. Sed volo esse tecum liberalis,& il-

lud,quod postulas,concedere,temperasse,istos discipulos sententiam suorum magistrorum. Illud etiam dare volo,dignos esse commiseratione, quod his ducibus istam rationem negotiandi Clericis, Monachisque permiserint, & aliquas alias opiniones amplexati sint; quamquam enim non esset boni discipuli ex omni numero magistrorum eos potissimum, qui errassent, consectari, &, missis frugibus,glande vesci, quando tamen magistri errarunt, venia discipulis danda est, si in errorem magistrorum inciderunt. Unum abs te postulo, quod pro mea erga te facilitate impetrare debeo, ut quoniam nos Magistrorum, discipulorumque errores agnovimus, eos libenter relinquamus; nam si sapientis non est, quod non satis explorate perceptum sit, & cognitum id sine ulla dubitatione defendere, quanto minus decet, eum falsum sentire, aut cognitum errorem nolle deponere? Sed eos etiam deponere oportet, quos discipuli a magistris non acceperunt, sed ipsi suopte ingenio, & opinandi licentia in morum disciplinam introduxerunt. Hi quam multi sint, quam graves, quam valde cum Christi doctrina, & veterum Ecclesiae Patrum sapientia repugnantes probe nosti. Nam si rogas ecquem ma-

maxime,omniumque primum relinquendum putem,nihil haesitans respondebo,illum longe gravissimum, & ad maximum Christianorum damnum comparatum, non a magistris acceptum, sed a discipulis inventum, & sedulo propagatum de absolvendis hominibus peccandi consuetudine implicatis. Unum Francolinum hac de re disputantem horresco legere. Nihilo melior est auctor novae dissertationis, & tu ipse dum Francolinum, & Sanchesium defendis. Excute veteres omnes Theologos, & Casuistas, nihil invenies hujus monstri simile. Nam cum ceteri errores certis finibus coerceantur,singulique ad singula vitia excusanda comparati sint, hic unus omnia conservat, omnibus indulget, frustraque, eo retento, caeteri relinquuntur. Nihil enim prodest falsis opinionibus nullum obtegere peccatum, nisi etiam peccandi licentia coerceatur. Itaque hunc primum deserendum puto, deinde caeteros, si vis,dignos videri Probabilistas,quorum Lectores misereantur; nam quamdiu error retinetur, ridiculum est captare commiserationem, auctoresque demonstrare, a quibus fuit acceptus: quasi liberum non sit semel acceptum deponere, aut cum ratione agat, qui cum errorem deponere nolit, tum

quoties reprehenditur culpam in auctores transferre laborat.

Sed ecce jam centum, & eo amplius sunt anni, ex quo ista ratione utimini captandae commiserationis, & nunquam redintegratum est bellum adversus Casuistas, quin aliquid ejusmodi audiretur: a Dominicanis magistris opiniones suas accepisse discipulos Probabilistas. Quid igitur? Desierunt ne unquam istorum discipulorum discipuli a Dominicanis, vel a suis istas opiniones accipere? Nequaquam. Ad quos igitur aequum est invidiam pertinere; ad eos ne, apud quos error magistrorum nullum habuit fautorem, an magis ad eos, qui non solum magistros, sed etiam discipulos errantes secuti sunt; errorem que alii ex aliis continenter propagarunt?

De Lessio quinto.

CXXXI. Agis quinto causam Lessii cap. LXXVI., & contra quam Concina scripsit To. 7. pag. 509. defensum ab eo fuisse negas contractum Mohatra *respectu ejusdem personae cum contractu retrovenditionis praeviae inito, quem damnavit Innocentius XI.*

Non te movent haec Lessii verba lib. II. cap. 21. dub. 16. „ Utrum venditiones, & „ emptiones reciprocae ejusdem rei *diverso* „ *pretio, quas Hispani vocant BARATAS,* „ & *MO-*

„ & *MOHATRAS* ſint licitae? Exemplum
„ ſit. Petit quis 160. aureos mutuos. Mer-
„ cator non vult mutuare; ſed paratus eſt
„ vendere illis merces creditò, ſummo pre-
„ tio, v. g. 105. vel 106. aureis, ut eas
„ vendat pecunia numerata *cui voluerit*. Il-
„ le eaſdem *offert* mercatori, qui eaſdem
„ emit, vel potius redimit pecunia nume-
„ rata, ſed minoris, pretio nimirum me-
„ dio, vel infimo, v. g. 100. aureis, & il-
„ li manet debitor centum & quinque „.

Non, inquam, te movent haec verba Leſſii; quandoquidem, licet ipſe contractum, quem proponit, & poſtea defendit, Mohatram appellet, qui ſine reciproca ejuſdem rei emptione, & venditione, atque adeo ſine pacto *implicito retrovenditionis* conſiſtere non poteſt, quia tamen ſcribitur a Leſſio: *ut eas* vendat, *cui voluerit*; & rurſus: ille emptas *offert mercatori*, pactum merces revendendi initum fuiſſe negas.

Pergit continuo Leſſius: „ quidam
„ Doctores exiſtimant id eſſe *injuſtum*, &
„ palliatam uſuram, quando idem redimit,
„ qui vendidit. Sed verius eſt *non eſſe inju-*
„ *ſtum*, etiamſi redimat ipſe venditor, mo-
„ do intra limites juſti pretii conſiſtat, itaut
„ quando vendit creditò, non excedat pre-

„ tium rigorosum, & quando redimit numerato, non descendat infra justum infimum. Ita Navarrus 23. num. 91. Et Petrus Navarra lib. 3. cap. 2. num. 170., & alii recentiores. Ratio est, quia & venditio prima justa est, cum fiat justo pretio quamvis summo, & secunda etiam est justa, qua eaedem merces revenduntur. Nec refert, quod haec revenditio fiat pretio infimo. Tum quia pretium infimum etiam est justum, praesertim in numerata pecunia: tum quia merces, *quae a venditore ingeruntur* vilescunt. Nec etiam refert, quod idem sit emptor, qui ante erat venditor, quia si alius quivis poterat illo pretio emere, cur non ille qui vendidit? Immo beneficium alteri in hoc praestari videtur, dum ille liberatura a quaerendis aliis emptoribus, & sumptibus in proxenetas faciendis, *non tamen potest illum ad hoc cogere: sed debet omnino liberum relinquere* „.

Pergit, inquam, isto modo Lessius, eoque minus defendere tibi videtur contractum Mohatram, quem damnavit Innocentius, quod velit, emptori liberum esse oportere eas merces, cui velit, revendere.

Neque animadvertis, verbis quidem, non

non re liberum esse emptori merces cuilibet vendere, propterea quod si eas statim mercatori revendit, *liberatur a quaerendis aliis emptoribus, & sumptibus in proxenetas faciendis*, quod homini egenti pecuniae quandam necessitatem imponit, ut non alium, nisi mercatorem esse velit illarum mercium emptorem: quodquidem cum pertineat ad *pactum implicitum* nihil occurrit, cur improbatum omnino, damnatumque ab Innocentio XI. fuisse negemus, propterea quod ex damnata propositione implicitum ne an expressum oporteat esse *pactum retrovenditionis* nulla ratione colligitur.

Ne illud quidem animadvertis, Lessium pugnantia loqui, ejusque argumentationem plenam esse ineptiarum. Nam quid illud est: *nec refert, quod haec revenditio fiat praetio infimo. Tum quia praetium infimum etiam est justum, praesertim in numerata pecunia*? Etiamne numerata ab eo, qui ejusdem rei uno tempore venditor est, atque emptor, & *stans pede in uno* emit parvi, quod vendidit magni? Hoc enim quaeritur; & Lessius quemadmodum probet, nihil laborat.

Quid item illud: *tum quia merces, quae a venditore ingeruntur vilescunt*? Quam belle

le Cicero irrideret istas astutias! Qui ludrice emit, ut statim revendat, is ingerit merces? Deinde cur hae merces primum oblatae a mercatore non vilescunt, oblatae a venditore vilescunt? Nam quod scribit in extrema argumentatione: beneficium a mercatore fieri emptori, qui *liberatur a quaerendis aliis emptoribus, & sumptibus in proxenetas faciendis. Non tamen potest illum ad hoc cogere; sed debet omnino liberum relinquere*, quod inquam, ita scribit, quid est, si jocularis contradictio non est? Etenim si beneficium est, eas merces statim mercatori revendere, quid vetat, emptorem eo adduci, ut hoc beneficio uti velit? An non licet emptoris commodo, utilitatique servire? Quare aut merces mercatori revendere beneficium non est; aut quod additur: *non tamen potest illum ad hoc cogere &c.* supervacaneum est. Ex quorum altero sequitur, inepta ratione effici contractum justum esse: ex altero verbo tenus negari pactum *retrovenditionis*: ex utroque Lessium pugnantia loqui.

CXXXII. Demus tamen hactenus Lessium ab errore damnatae propositionis esse remotum. Etiamne in his, quae sequuntur, remotum esse defendes? Recita reliqua., „ Adverte „ tamen hunc modum contrahendi saepe non

,, non carere culpa in mercatore, qui *ex* ,, *composito* ita vendit, ut pretio infimo re- ,, dimat. Nam primo peccare potest contra ,, charitatem, ut si *cogat* miserum aliquem ,, hominem *emere* merces (non dicit *retro-* ,, *vendere*, quod jam hinc advertendum est) ,, quibus non eget, magno illius dispendio, ,, cum possit illi facile, & absque suo in- ,, commodo mutuum dare. Secundo pecca- ,, re potest praebendo malum exemplum: ,, nam contractus ille habet speciem mali, ,, & suspicionem usurae. Tertio seipsum, ,, & suos infamando: non tamen tenetur ad ,, restitutionem, ut inquit Navarrus; quod ,, intellige non teneri ex justitia: sed fieri ,, potest ut teneatur ex charitate, ut si alter ,, sit pauper, & grave sit illi tale detrimen- ,, tum,,.

Quid, inquam, hoc loco Lessium do- cere dices? Etiam ne his verbis: *qui ex com- posito ita vendit* abest pactum retroventitio- nis? Abest, inquis; nam qui hoc pactum in superioribus locis tam aperte negavit, qui potuit statim illud admittere? Itaque sic ra- tiocinaris: ,, si ea verba *ex composito* signifi- ,, carent in P. Lessio, ut P. Concina con- ,, tendit, *pactum praevium*; Lessius docuis- ,, set immediate, & nullis interjectis, duo

con-

,, contradictoria. Atqui hoc de Lessio non
,, est credibile. Ergo. Propositionem mi-
,, norem P. Concina, puto, non negabit.
,, Neque enim si Lessium laxonem fingit;
,, stolidum etiam volet, & bardum fingere.

Quamquam ex iis, quae dixi supra, luculenter appareat, quam non incredibile sit, Lessium sibi contradicere, demus tibi nihilo secius, eum sibi revera non contradicere. Quid igitur? an idcirco vinces, te jure Concinam imposturae accusasse? Non puto: nam si is tibi responderet, sibi visum esse Lessium pugnantia loqui, & his verbis: *ex composito vendit* pactum *retrovenditionis*, quod in superioribus negarat, admittere; quid haberes, amabo te, quo tuam accusationem sustineres? Illud unum, opinor, neque bardum, neque stolidum esse Lessium. Proh Deum immortalem! Quam bardum, & stolidum oportet esse lectorem, qui te vera scribere, & justis de causis Concinam malae fidei, imposturaeque accusare sibi persuadeat! An novum, atque inauditum est, scriptorem neque bardum, neque stolidum sibi contradicere? An non omnibus horis audimus, argui scriptores a scriptoribus contradictionis? Hoc plane novum, atque inauditum est, Noceti, eum, qui non raro falsa docet,

& cum

& cum ratione pugnat, tam incredibile videri, secum ipsum pugnare, ut qui secus sentiat, impostor habeatur.

Sed age, si Lessius sibi non contradicit, neque pactum retrovenditionis prius quidem verbis negavit, re admisit, post autem aperte concessit; quis erit sensus eorum verborum: *qui ex composito ita vendit*? „ Assigno, „ inquis, duplicem, & quidem non obtor- „ tum. Primum ea verba significare possunt „ intentionem internam, etsi nullo modo „ manifestatam. Itaut sensus sit. *Qui ex* „ *industria*; *qui ex hac intentione* negat pe- „ cuniam mutuam misero illi petenti, & „ vendit illi merces, ut pretio infimo redi- „ mat, peccat contra charitatem. Et ea „ verba *ex composito* significent *rem compo-* „ *sitam secum ipso*, *in animo suo* a merca- „ tore, non vero *compositam* exterius cum „ emente „.

Quid istuc est? quid attinuit istam *intentionem*, sive *rem compositam secum ipso in animo suo a mercatore*, commemorare? An sine ea contractus, aut omnino fieri, aut non esse contra charitatem potest? Sed cedo alterum sensum. „ Secundus sensus potest „ esse iste: mercator, qui *concorditer* cum „ misero emptore tali pacto negotium transigit

„ figit, ut prius vendat, & deinde pretio
„ infimo redimàt, peccat contra charita-
„ tem : quae *concordia* haberi potest per
„ hoc, quod prius communi consensu ce-
„ lebrent emptionem; & postea communi
„ novo consensu celebrent retrovenditio-
„ nem, quin tamen secundus iste consensus
„ deductus fuerit in pactum praevium, sed
„ emptor fuerit relictus omnino liber, ut
„ revenderet merces *cui voluerit*. Uterque
„ sensus naturalis est. Primum tamen puto
„ esse genuinum sensum Lessii „.

Ego vero de his tuis interpretationibus nihil dicam, sed lectoribus judicandum relinquam. Te tamen allego primum ad Facciolatum, in quo V. *compositus* ita leges: *hinc ex composito, de composito, hoc est de industria, ex condicto*: deinde ad Robertum Stephanum, in quo item V. *Ex* leges. „ Ex
„ composito, idem significat, quod com-
„ posito abl., quasi dicas, dedita opera,
„ & *ut convenerat inter eos*, ut subaudiri
„ videatur alius dativus (negotio), nem-
„ pe, ex composito negotio, Liv. I. 9.
„ *Tum ex composito orta vis, signoque dato*
„ *juventus Romana ad rapiendas virgines*,
„ *discurrit*.

CXXXIII. Una est via, qua Lessium liberare

re possis a contradictione, quando tantopere caves, ne eum sibi contradixisse appareat, quod initio disputaret adversus Thologos, qui ejusmodi contractum omnino improbarent, & etiam sublato pacto injustum esse, judicarent, propterea que id solum probandum sumpsit, reciprocam ejusdem rei emptionem, & venditionem non esse contra justitiam, monuitque cum in proponenda quaestione, tum in extrema argumentatione liberum emptori esse debere, ut merces, cui velit, revendat. Post autem, animadvertens, contractum Mohatram sine reciproca ejusdem rei emptione, & venditione consistere non posse, nihilque referre existimans, ea mercatorem, emptoremque conceptis verbis pacisci, quae in ipso contractu continerentur, pactum *retrovenditionis* aperte concessit. Quod tibi mirum videri non debet: solent enim Casuistae cum nova, aut valde laxa proponunt, ambagibus uti, & ad declinandam invidiam, ut ait idem Lessius, nonnisi magna veborum circuitione suam proponere sententiam.

CXXXIV. Postremum est, ut quæ cap.c. pro eodem Lessio adversus Concinam disputas, paucis expendam. Is Tom.x. pag.115. agens de pensionibus, *quae non dantur in titu-*

Digitized by Google

titulum beneficii, *ſed pro beneficio* : „ verum, inquit, ex Bulla S. Pii V. quae „ incipit, *Ex proximo*, omnes recenſitae pneſiones annexae ſunt titulo ſpirituali, omneſque Clerici penſionarii adſtringuntur „ recitare officium parvum B. Virginis, ideo „ nec vendi, nec redimi abſque ſimonia valent. *P. Leſſius* de more aſſerit num. 129. „ Bullam S. Pii V. *nullibi* eſse receptam, „ ſed Leſſius *fallitur fallitque*. Teſtantur „ enim Salmanticenſes num. 74. ex Raphaele a Torre in Hiſpania eſse receptam „.

Tu his, quae ſunt de Leſſio deſcriptis „ Pater Concina, inquis, de more calumniatur Patrem Leſſium „.

Fors ita tulit, ut nihil hactenus non ſolum de Leſſio, ſed ne de ceteris quidem Caſuiſtis, de quibus diſputatum eſt, objeceris; quin ego aperte demonſtrarim, omnia a Concina fuiſse accuratiſſime ſcripta, una re, ſummum altera leviſſima excepta; quare cum tibi de hoc poſtremo Leſſii loco, multo magis de ceteris, qui reliqui ſunt cumulate, ſatisfecero, intelligent lectores, a quo profectum ſit illud convicium: *Pater Concina de more calumniatur*, a judicio ne, & ſtudio vindicandae veritatis, an ex aliquo alio, quod dicere nolo; & legere potes in Tamburi-

burino. Itaque expone caussam calumniae. „ Pater Lessius, inquis, nusquam dicit Bullam S. Pii V. „ *nullibi* esse receptam: „ immo apertissime supponit esse receptam „ alicubi; & solum dicit non esse receptam „ *in plerisque locis*. En ejus verba lib. 2. „ de justitia cap. 35. dub. 22. cit. num. 129. „ *Notandum tamen ubi Bulla Pii V. de pensionibus est recepta*, ibi *pensionem esse* „ *rem spiritualem*. *Statuit enim Pius V.* „ *ut omnes pensionarii ratione pensionis teneantur recitare Officium B. Virginis*; „ *qua ratione pensio revera est quoddam* „ *beneficium*. *Sed* plerisque locis *haec Bulla* non *videtur recepta*. In vocabulario „ P. Concinae ad mordendum Lessium Jesuitam synonima sunt, plerisque locis „ non videtur recepta, & *nullibi* est recepta „.

At de vocabulario Salmanticensium, qui tract. xix. cap. 3. punct. 10. scribunt hoc modo: „ affirmat autem Lessius num. 129. „ nullibi videri receptam talem Bullam „ quid tibi videtur? Pertinet ne hoc *nullibi* ad invidiam Lessio creandam, ejusque existimationem minuendam? Quod si horum Theologorum tanta hactenus fuit auctoritas in indicandis Casuistarum locis, ut ab

T omni-

omnibus habiti sint diligentissimi, & nunquam in eos malae fidei, vel imposturae, praesertim in vestris laudandis, ceciderit suspicio, quid est, quod Concinae succenseas ob eam caussam, quod eorum diligentiae, interdum fidem adjunxit? An incredibile erat Lessium parvi facere Bullas Romanorum Pontificum? Certe non erat. Nam Concina tom. 7. pag. 494. pluribus ostendit, consuesse Lessium Bullas Romanorum Pontificum, ideo quod receptae non essent, parvi pendere, & adversus, quam his Bullis decerneretur, controversias definire. Uno contentus ero, neque res pluribus eget. Itaque loco citato Lessium inducit de Constitutione Sixti V. ita scribentem lib. II. cap. 25. dub. 3. num. 33. „ Nec obstat, quod
„ Sixtus V. in constitutione edita anno
„ 1586. 12. Kal. Novemb. damnet, & re-
„ probet omnes contractus in posterum in-
„ eundos, per quos cavebitur &c... quia
„ non obstante hac Constitutione in Italia
„ maxime viget, & semper viguit ista for-
„ ma contrahendi ...... Multo minus fuit
„ recepta hic in Belgio, ubi neque fuit
„ unquam promulgata, neque cognita „.
Intellextin? Hoc fere modo loquitur de aliis Constitutionibus Pii V. Quorsum haec,

haec, inquies? Quia intelligas velim, si peccatum esset in adverbio *nullibi*, haud tantam Lessio factam esse injuriam, quantam lectoribus suadere velles ista acerbitate accusationis: *Pater Concina de more calumniatur Patrem Lessium*. Nam si Lessius de Constitutione Sixti V. tam insolenter scripsit, ut deteriorem in modum scribi non posset de Medulla Bussembau, aut Trutina Vivae, quid mirum esset si de aliqua alia scripsisset, eam nullibi esse receptam? At ego peccatum esse nego. Nam Salmanticenses, quorum sane nihil intererat Lessii testimonium corrumpere, aut in aliqua operum Lessii editione *nullibi* legerunt, aut Lessium ita interpretati sunt, ac si diceret, Constitutionem nullibi esse receptam. Primum facile accidere potuit, constat enim nonnulla in posterioribus operum Lessii editionibus a Casuistis, qui suos clanculum emendare solent, esse mutata. Cujus rei praesto est exemplum. Nam ex libro IV. de Just. cap. 3. dub. 8. num. 59. „ haec sententia videri posset alicui probabilis, & speculative vera„ (quem locum cap. XLII. tuipse retulisti) in editione Lugdunensi 1630. detractum est, *& speculative vera*.

Alterum autem nihil a Lessii oratione

 alie-

alienum videtur : ait enim : ,, sed plerisque ,, locis haec Bulla non videtur recepta , ,, quia a plurimis ignoratur ; vel etsi sciatur non est in praxim unquam deducta. ,, Ergo dici potest nullibi esse receptam , quia licet alicubi non ignoretur , fortasse non est *in praxim unquam deducta* .

De de Lugo. CXXXV. Itaque venio ad Johannem de Lugo, quem sæpe ab Concina injuria affectum fuisse doles , imprimisque tom. 7. pag. 65. , ubi in Catalogum *Propositionum damnabilium* refert hanc ejus propositionem tom. 11. de Just. disp. 26. sect. 13. num. 208. ,, infertur ,, tertio , neque reddi injustum hunc con- ,, tractum (mohatrae) ex natura rei per ,, hoc , quod venditor suam intentionem ,, manifestet emptori , dicendo : ego libere ,, tibi credito vendo has merces , si tamen ,, volueris eas postea viliori pretio vendere ,, ad habendam pecuniam praesentem , ego ,, paratus sum ad eas emendas ,, . Truncata est , inquis cap. LXV. ,, Sententia Car- ,, dinalis de Lugo , & quidem non medio- ,, cri Eminentissimi Auctoris damno . Re- ,, secta enim est limitatio , & admonitio ab ,, ipso statim adjecta , quae opinionem non ,, modo multum temperant : verum etiam ,, omnino immutant. Igitur Cardinalis post ,, re-

„ recitata verba, interjectis puncto solum, „ & comate, ita pergit: *Dum tamen aliquod pactum implicitum sub hac manifestatione non includatur* „.

Nunc adverte animum; nam oportet, vindicem veritatis attente considerare, quam parum officio suo satisfecerit, & male meritus sit de veritate. Primum nego, ea verba de Lugo fuisse ab Concina praetermissa. Deinde nego, eadem quidquam valere ad minuendam prioris propositionis *laxitatem*; itaut, si praetermissa fuissent, conqueri jure posses id Auctoris damno factum esse. Utrumque intelliges Concinae testimonio, qui non solum ea verba de Lugo non praetermisit, sed etiam cum priori propositione pugnare, & de Lugo verbis ludere ostendit. Nam cum loc. indicato pag. 291. priorem propositionem refutasset, eaque mercatori tacitam pactionem concedi ostendisset, ita pergit: „ At, inquis, non imponitur emptori onus „ retrovendendi. Immo continuo subdidit „ laudatus Auctor: *dum tamen aliquod pactum implicitum sub hac manifestatione* „ *non includatur*. Haec sunt consuetae antilogiae, quibus benigniores Probabilistae jugulare non raro se solent. Ut patentem laxitatem quoquo modo tempe-

„ rent, adjiciunt clausulam aliquam quae
„ pugnat cum facto quod ut licitum propo-
„ nunt. Quid est pactum? Conventio in-
„ ter duos. Mercator aperte dicit: vendo
„ tibi hanc mercem; si tamen volueris eam
„ mihi revendere viliori pretio, emam.
„ Assentitur emptor necessitate pecuniae
„ obtinendae astrictus. Quid ultra requiri-
„ tur reipsa ad pactum ineundum? Nihil
„ sane. Sed, ut verborum involucro res
„ implicetur, mere vox pacti excluditur,
„ & pactum reipsa conceditur expressum,
„ nedum implicitum. Est pactum, dicent,
„ sed liberum, non onerosum, non neces-
„ sarium. Physice verum est. At in civili
„ commercio, & moraliter loquenda, to-
„ tum adest quod ad damnatum contractum
„ Mohatrae requiritur. Nec feneratores fa-
„ cultate potiuntur cogendi mutuatarios ad
„ ineundos contractus fenebres. Offerunt
„ pecunias mutuo, libertatem iisdem relin-
„ quentes easdem accipiendi, aut respuen-
„ di. Quare, ut minus, tanquam periculi
„ plena, improbanda est Card. de Lugo
„ sententia „.

Ecce tibi Concinae fidem, & diligentiam, quam defendo, in indicandis, describendisque Casuistarum sententiis. Majorem

sane

ſane deſiderare non potes. Quum paullo ſupra dixeris: *Pater Concina de more calumniatur*, quid ego te agere dicam, qui eum, quod non omiſit, id tam confidenter omiſiſſe criminaris? At non retulit, inquies, iſto modo propoſitionem de Lugo in *Catalogum damnabilium*. Non ſane retulit, at ne referre quidem debuit, propterea quod in Catalogis ſimplices propoſitiones, ut ſaepe dixi, referuntur, quibus non oportet omnes appendices, aut exceptiones Caſuiſtarum adſcribere, praeſertim cum nihil aliud ſunt, niſi verborum circuitiones, quae primum non minuunt errorem; & cum opportuno loco, ubi de his propoſitionibus, data opera, diſſeritur, omnia proponuntur, & explicantur, quae in his appendicibus, & exceptionibus continentur. Quae cum vera ſint, & ab Concina accurate perfecta eſſe intelligas, quo demum animo eum malae fidei inſimulas, & ſcribis in extremo capite „ Propugno Patrem Concinam non referre integre, & ſincere Jeſuitarum ſententias, & ipſas collocare in maligniori luce, quam mereantur?

De iſtis verbis, Noceti, tibi cave, & vide, ne quis dicat, Concinam, ſi quod illi abeſſe dicis, id abs te diſcere deberet, haud

ſane bonum harum rerum magiſtrum eſſe habiturum.

Iterum de de Lugo. CXXXVI. Atque ego non dubito, quin hoc plerique dicturi ſint, propterea quod eadem ſaepe peccas, & quae recte ab Concina ſcripta ſunt, ea mala fide ſcripta fuiſſe dicis, ut tuorum diſſimules errores. Quaeritur, an ſi vir religioſus faeminae notitiam habeat, debeat ſcortum praetium reſtituere. Negat Pelizarius, negat Cardinalis de Lugo, & ideo Concina tom. VII. pag. 157. „ Pelizarius, inquit, in manuali re-
„ gular. tract. 4. cap. 2. ſect. 4. quaeſt. 3.,
„ Machadus tom. II. lib. 5. p. 2. tract. 1.
„ docum. 2., Lugo diſp. 3. ſect. 3. (8), Joan-
„ nes a Cruce lib. 1. de ſtatu Relig. cap. 3.
„ dub. 1. & alii *opinionem negantem defen-*
„ *dunt*. Haec mihi opinionum portenta ap-
„ parent, quae mirum in modum patefa-
„ ciunt, quo laxitatis novus opinandi mo-
„ dus pertrahat humanam mentem „.

Tu contra his Concinae verbis cap. LXIX, deſcriptis „ Ego, inquis, ſincere referam
„ quid ſentiant Cardinalis de Lugo, & Pel-
„ lizarius, & utrum eorum mens, atque
„ opinio in ſuo vero adſpectu collocetur, an
„ vero adulterinis coloribus depingatur per
„ illa verba *Pellizarius, & Lugo negantem*
„ *opi-*

„ *opinionem defendunt*, lectoribus judicandum relinquam. Cardinalis de Lugo post relatam cum suis auctoribus, & argumentis sententiam *adfirmantem*, restituendum esse a scortis illis praetium receptum a religioso num. 142. ita pergit: *Caeterum licet haec pars* (adfirmans) *ut dixi, communis, & probabilissima sit*; non tamen puto *improbabilem contrariam sententiam*. Tum affert rationes, ob quas *non* putat *improbabilem* opinionem negantem: & idem praestat Pellizarius, cujus verba non recito; quia ferme syllabatim exscribit doctrinam Cardinalis de Lugo. Expendant nunc lectores potestatem, & vim istarum vocum, *defendere opinionem negantem*: quae juxta communissimam hominum intelligentiam significant, opinioni neganti adhaerere, illam amplecti, illam adfirmanti anteponere, illam vel unice veram, vel ad minimum probabiliorem putare, haec, inquam lectores expendant, & utrum defendant opinionem negantem illi, qui, cum doceant opinionem adfirmantem esse *probabilissimam*, ne probabilem quidem audent vocare negantem, sed temperatissimo loquendi modo vocant solum *non improba-*

„ *bi-*

„ *bilem* , ipsi , ut dixi , sint judices „ .

Ego vero de his tuis argumentationibus saepe respondi , & ostendi nugas esse indignas vindice veritatis , qui adversarium criminis accuset imposturae . Idem puto judicaturos lectores , quorum judicium tam confidenter appellas , modo quae de his probabilistarum loquendi formulis alibi disserui , diligenter expendant . Hic tamen sunt alia pleraque , ex quibus intelligi potest , te eos ludificari , vel eorum appellare judicium , qui nunquam , utrum vera praedices , lecto de Lugo , cognoscere curabunt . Concedis tu quidem , Cardinalem de Lugo afferre rationes , *ob quas non putat improbabilem opinionem negantem* ; sed siles , eum praeterea argumenta dissolvere contrariae sententiae , proindeque opinionem suam omnibus modis confirmare conari , quibus quae alteri praefertur confirmari solet .

„ Nec obstant , inquit loc. cit. num.
„ 143. argumenta contrariae sententiae .
„ Ad primum enim dicimus licet Praelatus
„ non posset in speciali , & determinate
„ concedere subdito licentiam ad usum tur-
„ pem , vel superfluum , quia jam hoc esset
„ cooperari ejus peccato , posse tamen in
„ genere , & in universum concedere illi
„ fa-

„ facultatem plenam cedendo juri suo in „ universum, itaut ex ea parte, quilibet „ usus non habeat malitiam injustitiae, si- „ cut si is, qui mutuarit &c.

Longa oratione responsionem confirmat, deinde alterum argumentum solvere aggreditur:„ ad secundum desumptum ex li- „ centia Episcopo concessa, quae si id non „ exprimat praesumitur semper esse solum „ ad opera pia responderi potest, quidquid „ sit de antecedenti negando consequen- „ tiam „. Hanc quoque responsionem longo sermone confirmat, quem non est opus integrum describere. Nunc judicent lectores utram opinionem alteri praeponat.

Mea sic est ratio, eam quemque probare opinionem, quam maxime confirmare nititur; eam autem niti maxime confirmare, non quam *probabilem*, aut *non improbabilem* appellet, sed quam rationum momentis, & contrariorum, si quae sunt, argumentorum confutatione stabilire contendat.

CXXXVII. Fortasse non acquiesces, & quamquam non aliunde, quam ex ista ratione disputandi, cognoscatur utram quilibet scriptor sequatur opinionem, noles nihilosecius negantem a de Lugo hoc loco propugnari sen-

sen-

tentiam. Itaque urgebo te alio modo, ex quo rursus lectores melius, quam ex tuo libello, judicare possint, utram is defendat opinionem. Nam quid affert sententia negans? Meretricem retinere lucrum posse a Religiosis acceptum. Nonne? Igitur si ostendero, eo spectare de Lugo, ut hoc lucrum meretrici quoquo modo conservet, nihil erit causae, cur eum negantem potius, quam ajentem neges tueri sententiam. Age nunc. Quid agit, his rebus, quas supra dixi, confectis, de Lugo? Nihil aliud nisi, ut aliam causam quaerat, cur, etiam ajente retenta sententia, nihilo secius meretrix hoc lucrum reddere non debeat, ex quo si negas illud aperte colligi, non aliud velle de Lugo, quam hoc lucrum meretrici conservare, non video, cur rem quamque manifestam negare non possis. Ait igitur in extremo n. 143.
„ Addo item pro praxi, posse frequenter
„ eos, qui ob turpia acceperunt a Religio-
„ sis, excusari ab onere restituendi etiam
„ retenta sententia contraria, quia licet ab
„ initio donatio fuisset invalida propter
„ malum titulum, nunc tamen potest idem,
„ qui dedit, & aliunde habens licentiam
„ ad usus licitos, potest, inquam, muta-
„ to animo donare illud eidem faeminae,

„ v.g.

„ v. g. quia pauper eſt, aut ob alium titulum honeſtum, ad quam donationem licitam habet ſufficientem facultatem „.

Haec addit de Lugo,non differendi cauſſa, ſed *pro praxi* illius ſententiae, quam *temperatiſſimo loquendi modo* vocat ſolum *non improbabilem*.

CXXXVIII. Quod ſcribis Pellizarium *ferme ſyllabatim* exſcribere doctrinam Card. de Lugo verum eſt; nam ne iſtam quidem cauſſam praetermittit retinendi lucri, uti liquet ex tract. 4. cap. 2. ſect. 4. ſubſect. 3. quaeſt. xxi. ubi ait: „ praeterquamquod frequenter „ excuſari poſſunt a reſtitutione accipientes „ ob turpia a Religioſis,etiam retenta com„ muni ſententia: quod quamvis donatio ab „ initio fuiſſet invalida ob malum titulum, „ poſtea tamen qui dedit, & aliunde habet „ licentiam ad uſus licitos; poteſt, mutato „ animo, donare illud eidem foeminae. v.g. „ quia pauper eſt, aut ob alium titulum ho„ neſtum ad quam donationem licitam ha„ bet ſufficientem facultatem: ut ingenioſe „ advertit Cardinalis de Lugo num. 143. „

Omnia mirifice conveniunt; neque mihi diſplicet quod ait, iſtam retinendi lucri cauſſam fuiſſe ab de Lugo ingenioſe excogitatam. At vehementer miror, potuiſſe, aut vo-

voluisse istos Casuistas non solum omnia rationum momenta exquirere, sed etiam ingenium torquere pro confirmanda sententia, quam stabilire nollent, & *temperatissimo loquendi modo* vocarēt *solum non improbabilem*.

De Lugo tertio. CXXXIX. Nunc, quae cap. LXXI. objicias videamus. Scripsit Concina tom. 7. pag. 221. „ quando adultera duos admittit eodem „ tempore, si ignoretur cujusnam proles sit, „ quisnam istorum *compensationi* obnoxius „ est? Respondeo: *Utrumque liberant* & „ *restitutionis onere* Lugo, Lopez, Trullen- „ chus, Sanchez, Sotus, & alii, quos ci- „ tant, & sequuntur Salmanticenses .... „ Hanc opinionem propugnat quoque Car- „ dinalis Gotti .... Recensita sententia fal- „ sa, & improbabilis mihi est „.

Quibus exscriptis „ hic habemus, inquis, evidentem imposturam contra „ Cardinalem de Lugo, quae facile detegi- „ tur, & propulsatur „. Non eo est opus, ut propulses imposturam, neque enim facile poteris, sed ut caussam edicas, cur hic Concinam esse dictites impostorem. An Concina non aperte significavit, Salmanticenses esse, qui Joannem de Lugo inter hujus sententiae fautores nominant; aut falsum est ab Salmanticensibus eum nominari?

Pri-

Primum non dices, nam Concina, Johanne de Lugo, ceterisque nominatis, statim addit: *& alii quos citant, & sequuntur Salmanticenses loc. cit.*

At ne alterum quidem dicere potes, quandoquidem perspicuum est Salmanticenses tract. XIII. cap. 3. punct. 2. §. 1. num. 32. proposita quaestione ita scribere: „ Probabilior autem est sententia affirmans non teneri quemquam illorum, ut suum recognoscere, nec alimenta etiam ex parte impertiri. Quod docet Lugo a num. 20. „

Quid igitur caussae habuisse te dices, cur Concinam, qui Salmanticenses, & Cardinalem Gottum ob descriptum Salmanticensium testimonium, in quo Lugo nominatur, hoc loco refellit, imposturae insimulares? Non aliam, opinor, nisi, ut hoc genere accusationum cresceret magnitudo libelli tui, saepiusque infigeres in oculos imperitorum illam omnium fere capitum inscriptionem: *vindicatur ab impostura &c.*

CXL. Nam quod scribis in extremo cap. debuisse Concinam, *si ab aliis deceptus est*, colligere necessitatem *legendi auctores in fonte* cum Epistola I. num. XVIII. & altera n. XXII. copiose confutarim, nihil est caussae, cur pluribus refellendum putem, praesertim quod

nihil

Suaresio susceptus optimo cuique probaretur, ita pro Sanchesio, Bussembau, Escobario, Zanardo, Diana, Terillo, Dicastillo, & omni reliquo Casuistarum numero non modo improbus, & infinitus haberetur, sed etiam magnos risus excitaret.

Alterum longe gravissimum, quod tibi in memoriam redigendum puto, illud est, quod ex omni Casuistarum serie, quos isto genere accusationis vindicandos suscepisti, nemo hactenus repertus sit, uno summum, alterove excepto, qui non eam reipsa tueatur opinionem, in cujus subsidium ab Leandro, vel ab Salmanticensibus vocantur, neque tibi proclive fuit quidquam efficere, nisi cavillis, & parum idoneis verborum interpretationibus rem implicares.

De Lugo ecce, quem dicis duos illos moechos, de quibus est sermo, ad damnum compensandum adigere, reipsa non adigit. At quamobrem non adigit, inquies, si propositis duabus quaestionibus: *uter eorum teneatur ad restitutionem, & compensationem pro damno illato marito, & filiis legitimis*; postquam multa in utramque partem disseruit ita concludit num. 24. „ Haec sunt, quae pro utra- „ que parte afferri possunt. Ego quidem in

 „ se-

„ secundam sententiam (negantem) propendeo, quod attinet ad obligationem *alendi* prolem illam dubiam: quia argumenta adducta illam probabiliter suadere videntur. Cum prima tamen sententia admitterem *obligationem* restituendi marito, & filiis legitimis saltem quoad partem pro damno illis illato ex prole adulterina, quia, ut nunc dicebam, in exemplo sagittae projectae, singuli sua actione injusta fuerunt in caussa, ne certus auctor damni agnosceretur, & per consequens saltem quoad partem videntur ex injusta actione *restituere debere*. Singuli enim certam injuriam intulerunt, & damnum aliquod, nempe vel prolem illegitimam, vel incertitudinem auctoris, qui solvere teneretur ea damna „.

Ita plane de Lugo concludit, sed nihil proficis. Nam si *cum prima sententia* vere admittit *obligationem restituendi marito, & filiis legitimis*, cur argumenta, quibus eam operose oppugnavit postea non solvit? Cur rationes, quibus probatur, summa vi infirmare conatus est. Tunc Catholicum, qui, si quaestionem tractaret, an verum Christi Corpus, verusque Sanguis in Sacramento Eucharistiae contineatur, omnes Calviniano-

rum

rum rationes studiose proponeret, argumenta Catholicorum operose refelleret; tum jejune adjungeret, propendere se in sententiam Catholicorum, tu, inquam, hunc Catholicum propugnare diceres sententiam Catholicorum? Non puto. Ecquis enim sententiam, quam defendit, unquam isto modo tractavit? Ecquis unquam cum aliquid verum, aut probabilius esse judicat, magis cur falsum, quam cur verum judicet caussas proponit? Tuipse, opinor, pati non posses quemquam Molinae *gratiam* ita sustinere. Atqui ita facit hac in re de Lugo; & taedet vehementer me quod totam ejus disputationem lectorum oculis subjicere non possum, nimis enim prolixa est, sed eam quisque legere potest. Itaque hac re animadversa Salmanticenses, qui duos illos moechos non adigunt ad damnum compensandum, scribere non dubitarunt: *quod docet Lugo a num.* 20.

CXLI. Una est reliqua quaestio ex iis, quae pertinent ad Johannem de Lugo, quam agitas cap. xcii. an recte scripserit Concina tom. ix. pag. 407. „ Quid dicendum de opi- „ nione Sporer, *Lugo*, & aliorum dicen- „ tium *nullam*, aut *modicam* injungendam „ esse poenitentiam, dum poenitentes con- „ fitentur ad indulgentiam lucrandam „. *De de Lugo quarto.*

V 2 Ajo

Ajo recte; nam is statim Sporerii haec verba profert ex part. III. cap. 4. quaest. I. §. 3. num. 45. pag. 237. „ Excusatur Confessarius, ut nullam, vel levissimam poenitentiam injungat.... Quando quis lucratur indulgentiam plenariam potest dimitti sine *ulla alia minuta* poenitentia, cum per illam indulgentiam satisfiat debito poenae. Etsi autem id raro pro certo, sufficit quod probabiliter credatur „.

Nemo dicet, opinor, fuisse ab Concina parum accurate expositam hujus Casuistae sententiam. At tibi, quia Lugo nominatur, qui non *modicas*, non *nullas*, non *minutas*, sed *leviores* scribit *poenitentias*, multum ab ejus sententia Concinae oratio discrepare videtur. Itaque haec sunt tuae in Concinae orationem animadversiones. „ Cardinalis de Lugo nihil habet de prima illa parte disjunctivae *nulla*; sed haec pars quantum ad Cardinalem *de Lugo* gratis intrusa est a P. Concina de suo: Secundo Card. de Lugo non dicit *modicas*, sed dicit *leviores*, & quidem comparatione habita ad gravissimas poenitentias, quae alias ob magnitudinem, & multitudinem criminum huic homini imponendae forent. Fieri autem potest, ut poenitentia sit *levior*

com-

„ comparate ad graviſſimas tot, ac tantis
„ criminibus hic, & nunc debitas; & tamen
„ abſolute non ſit *modica*. Tertio *Cardin. de*
„ *Lugo* non dicit *Injungendam* eſſe, quod ſi-
„ gnificat obligationem; & aufert a confeſ-
„ ſario poteſtatem injungendi leviorem, ſi
„ velit. Sed dicit *injungi poſſe*; quod ſigni-
„ ficat ſolam facultatem, & relinquit con-
„ feſſarium liberum ad alias graviores in-
„ jungendas: Quarto *Card. de Lugo* dicit,
„ in tali eventu injungendum eſſe a confeſ-
„ ſario pro poenitentia hoc ipſum, ut ſci-
„ licet ille homo Jubilaeum lucretur; adeo-
„ que ut omnia opera bona exequatur, quae
„ a Pontifice pro Jubilaeo lucrando impoſi-
„ ta ſunt. Hoc autem additamentum, quod,
„ ut vident lectores, valde immutat ſen-
„ tentiam, a Patre Concina omnino ſuppreſ-
„ ſum eſt. Quinto demum *Card. de Lugo*
„ monet, omittendas non eſse poenitentias
„ injunctas praetextu Indulgentiarum. Ad
„ quod monitum confirmandum affert in-
„ certitudinem eaſdem conſequendi, & plu-
„ res etiam rationes, quam afferat, ut vi-
„ debimus, S. Thomas in eamdem rem„.

Hic ego, ſi te verbis ludere, & nugas agere dicerem, nihil eſset, cur mihi ſuccenſe-res; nam verba profecto ſunt, & magnae

nugae, quas singillatim refellere omitto, ne lectores taedio afficiam. Neque tamen prorsus negligere possum, ne agas, more Casuistarum, de me triumphum, tibique de omnibus responsum non fuisse dictites. Sic igitur orationem temperabo, ut de altero tantum, & de quarto tibi respondeam, nam ea dicam, ex quibus cetera inanissima esse intelligi possit.

Et quoniam tu ipse continuo describis sententiam *de Lugo*, & ais hac propositione contineri ,, Tempore Jubilæi *potest* confessa- ,, rius injungere pœnitentias *leviores*, quam ,, cæteroquin ille homo mereretur, *impo-* ,, *nendo* tamen illi pro poenitentia hoc ip- ,, sum, ut Jubilaeum lucretur ,,. Quoniam, inquam, hanc esse dicis veram de Lugo sententiam, dic una, amabo te, quid inter hanc, & eam, quam Concina exponit, interesse putes? An quod dicis, poenitentias esse debere, non *modicas*, ut ait Concina, sed leviores, *quam caeteroquin ille homo meretur*? At hoc, *quam caeteroquin*, tuum est, non de Lugo, apud quem verbum *leviores* nullo modo comparativum esse potest. Nam is hanc etiam affert caussam, ut ipse refers pag. 262. cur tempore Jubilaei patiatur, poenitentias esse leviores, *quod*

quod redundat etiam in levamen confeſſarii, qui frequenter neſcit quomodo peccatori ingentibus peccatis gravato poſſit congruentem poenitentiam imponere, praeſertim (quod tu omittis) *cum ad quamlibet poenitentiam graviorem difficilem eum inveniat*. Ex qua cauſſa videre te puto, non poſtulare ſententiam de Lugo, ut poenae a Sacerdote impoſitae ſint leviores, *quam caeteroquin ille homo meretur*, alioquin eadem moleſtia premeretur Sacerdos, qua vult eum liberare de Lugo. Nimirum illud in poenis minuendis conſiderare deberet, an peccatis congruentes imponeret, neque id ipſum conſiderare poſſet, niſi quanta ex canonum praeſcripto debeatur, agnoſceret. Quare fatearis oportet, aut nomen illud comparativum non eſſe, aut, ſi comparativum eſt, ſecum ipſum pugnare de Lugo. Qua igitur, inquies, ratione uſus eſt nomine comparativo, ſi comparativum non eſt? Quid tibi vis dicam? Eadem, opinor, qua Caſuiſtae vulgo minus apte, &, latine loquuntur. Ecquis certiorem quaeſo te fecit, tam latine, caſtigateque loqui Caſuiſtas, ut ex eorum loquendi modis probare te poſſe crederes crimen impoſturae?

Fac tamen, nomen illud eſſe comparati-

vum, quid obstat, quo minus poenae *modicae* dicantur? Nihil, opinor: nam ut exigua quaeque, si majorem multitudo, magnitudoque non postulat peccatorum, modica non est, ita quaevis levior, *quam caeteroquin homo meretur*; modica recte appellatur.

CXLII. Alterum, de quo tibi respondendum mihi esse dixi, quarta est animadversio, vel extrema pars sententiae de Lugo: *imponendo tamen illi pro poenitentia hoc ipsum, ut Jubilaeum lucretur*; quae quidem nihil attinet ad quaestionem. Et sane mihi videris parum intelligere quid sit id, quod ad eam pertineat, nisi forte dissimulas accusandi caussa. Equidem facile ostendere tibi possem, Concinam de eo quidem non tacuisse, de quo eum tacuisse dicis; nam *modicae poenitentiae* nomine, quo usus est, haud dubie quodvis opus bonum, atque adeo ipsa comprehenditur *indulgentia*. Tacuerit tamen, si ita vis. Ego contendo, nihil omnino attinuisse dicere de *indulgentia* imposita loco poenitentiae. Primum, quia non admodum auget poenitentiam, qui id ipsum, quod poenitens facit, ut modicam suscipiat poenitentiam, jubet esse partem poenitentiae. Deinde (atque hic adverte animum; nam omnibus tuis argutiis satisfiet)

quia

quia quaestio est, an modica, non quae, aut quam modica imponi possit poenitentia iis, *qui confitentur ad indulgentiam lucrandam*, & ideo qualemcumque, aut quantamcumque doceat Lugo imponi debere, dum modica sit, recte a Concina proponitur quaestio, nihilque refert, an in modica poenitentia ipsa indulgentia contineatur, quandoquidem pœnitentia nihilo secius modica est, ut *sublevetur poenitens*, inquit Lugo loc. abs te cit. *qui pro tantis peccatis* non poterat agere *debitam poenitentiam*.

CXLIII. Secundum haec demonstrandum sumis p. 263. sententiam fuisse D.Thomae, aliorumque Theologorum: *manere liberum in conscientia ab implendis poenitentiis injunctis illum, qui lucratur indulgentiam*, ex qua sit consequens, posse Sacerdotem debitis poenis imponendis supersedere. Ego vero primum concedo: est enim ea, quam dicis, D.Thomae,& aliorum Theologorum sententia: alterum nego, quia ex ea non sequitur, neque D.Thomas, aliique Theologi unquam docuerunt, liberum esse Sacerdoti poenas imponere. Neque vero recte disputas cum dicis loc.cit. *Si ipse pœnitens etiam post pœnitentiam injunctam liber manet ab illa implenda, si Jubilaeum lucratur: a fortiori poterit con-*

fessarius leviorem imponere, obligando tamen ad Jubilaeum lucrandum; non recte, inquam, disputas, quandoquidem aliae, multae sunt caussae, ex quibus si minus singulis, saltem universis efficitur, ferendum nullo modo esse, ut eas poenas Sacerdos imponere praetermittat, quae indulgentiis redimuntur. Longum esset, & non necessarium de his caussis accurate disserere. Unam tamen attigi, quod neque D. Thomas, neque alii veteres Theologi unquam istam libertatem Sacerdotibus concesserunt. Altera est sane gravis, quod oportet, eos, qui saepe, & multum peccarunt, intelligere quanta sint digni poena, quantumque in hac vita laborem ad eam luendam suscipere deberent; & sane magni interest ad utilitatem populi Christiani, istam novorum Casuistarum minui opinionem, qua fit, ut tam salubris cogitatio, omnisque christianae poenitentiae ex animis hominum sensus obliteretur.

Tertia est causa, cur homini haec poena offerenda sit, quam affert Suarez disput. XXXVIII. sect. X. num. X. ,, per has in- ,, dulgentias remitti poenitentias impositas ,, ut satisfactivae sunt, non ut medicina- ,, les, quia indulgentia non datur in de- ,, stru-

,, structionem,sed in aedificationem animae
,, &c. . . . . Ex dicta vero limitatione obiter
,, intelligitur , his temporibus considerato
,, modo , quo poenitentiae imponi solent,
,, raro, vel nunquam licere omittere poe-
,, nitentias impositas propter indulgen-
,, tias : quia revera imponuntur levissi-
,, mae poenitentiae ; & quae vix suffi-
,, ciunt per modum medicinae ,, . Quae doctrina quamquam de Lugo non probetur, nihil tamen occurrit, cur non sit verissima. Laudas tu quidem de Lugo propterea quod moneat num. 31. ,, consulendum
,, semper esse poenitenti, ut opera imposi-
,, ta, quoad fieri potest, adimpleat; nec
,, debere poenitentias omitti indulgentia-
,, rum occasione ,, . Fateor, sed nihil aliud relinquit Sacerdoti, nisi facultatem admonendi. At ego sentio, Sacerdotem non solum hortari,quod nemo est aReligione tam remotus, qui non fateatur ; sed etiam compellere poenitentem posse ad poenam, quam illi imponit, sustinendam, praesertim cum eam imponit ad animi medelam . Quod cum neget de Lugo,imitari mihi videtur morem Casuistarum, qui in controversiis definiendis saepe numero nucleum tollunt, & putamina relinquunt.

 CXLIV. Ve-

Digitized by Google

De Marino. CXLIV. Venio nunc ad quendam Joannem Marinum, de quo ſic agis c.xxv.&xxvi. libelli tui, ut pro Suareſio, aut Vaſqueſio, vel eorum ſimili pugnare videaris; quae quidem capita libelli tui cum legendo percurrerem, ut ignotum mihi Caſuiſtam ex verbis ejus, ſi qua afferres, agnoſcerem, ſimul in eum locum perveni, in quo Moyam laudat, ejuſque in definienda quaeſtione nititur auctoritate, conjecturam feci, eum non diſſimilem magiſtri ſui, & forte etiam Romae damnatum, eſse diſcipulum. Neque mea me fefellit opinio: propterea quod cum in indice librorum prohibitorum de eo inquirerem, ita reperiebam:
„ Joannis Marin Oconenſis Theologia ſpe-
„ culativa, & Moralis. Venetiis 1720.
„ Tom. primus, & ſecundus Decr. Sacr.
„ Congr. Indic. 5. Julii 1728. Tomus ter-
„ tius Decr. Sacr. Congr. Indic. 18. Ju-
„ lii 1729.„

Hoc eo praeponendum duxi, ut videant lectores, an veriſimile ſit, reperiri quemquam poſse adeo ſtolidum, qui in referendis horum Caſuiſtarum ſententiis fraude agendum, aut mentiendum putet, quaſi magni interſit quidquam diripi de eorum exiſtimatione, aut niſi quaedam corrumpantur, nihil inveniatur in eorum libris dignum

gnum reprehensione. Tu tamen hunc hominem tam stolidum non solum reperiri posse, sed etiam repertum esse, & Concinam fuisse dictitas, qui non solum hujus Marini, sed etiam Moyae damnatissimi Casuistae, de quo statim agendum erit, opiniones maligne, descripserit. Atqui cum tot protulerit, & multo plures proferre potuisset ex omni numero Casuistarum absurdas, falsasque sententias, quas non licet cavillari male fuisse descriptas, facile intelligi potest, opus ei non fuisse paucas corrumpere, aut diminute describere, praesertim eorum; qui omnium minimi existimantur, ut lectoribus persuaderet male de morum doctrina meritos fuisse probabilistas.

CXLV. Sed quoniam in eo sumus, ut neminem, qualiscumque sit, affectum injuria; omniumque opiniones fuisse ab Concina summa fide, diligentiaque indicatas, demonstremus, recusandum non est, quominus de his etiam disseramus, in quibus refellendis nulla esse potest fraudis suspicio. Videamus igitur utrum Marini ab Concina (nam de Moya post dicendum erit) an abs te Concinae, quibusdam detractis, descripta fuerit oratio. Recita sententiam Concinae tom. 3. pag. 234.
„ P.Marin censet probabile esse, voventem
„ vir-

„ virginitatem non teneri ad castitatem. „ Tractatu 9. disp. 3. sect. 2. num. 39. Ex „ Burghemb.cent.1.casu 59.quia virginitas „ corporis tantum integritatem significat: „ sed haec opinio & *laxa nimis* est, & laedens communem sensum„.Et pag.117. in catalogo propositionum, quas recenset ut damnabiles. „ Probabile est, eum, qui „ vovit virginitatem, non teneri ad perpetuam castitatem: sed tantum ad servandam integritatem carnis, quam illa vox „ virginitatis proprie significat. Marin „ tract.9. disp.3. sect.2.num.39.

Quid tu ad haec? „ Qui legunt, inquis, recitata verba Patris Concinae certissime duo existimabunt. Primum; Patrem Marin loqui indiscriminatim universaliter, & nulla adhibita distinctione „ *de quocumque* vovente virginitatem, & de „ quocumque pronunciare, probabile esse, „ illum non teneri ad castitatem. Secundum: Patrem Marin docere in *sensu absoluto* propositionem, quae offertur ut damnanda, sine ulla conditione adjecta, „ quae illam temperet, & reddat conditionalem. Repetant, oro, lectores citata verba, & sibimetipsis dicant, an non „ statim imbibant animo haec duo, quae „ di-

„ dixi. Porro utrumque falsissimum est „.

Deinde duo Marin sumpsisse demonstras. Primum est, hoc differre inter virginitatem, & castitatem, quod prior, quae sita est in corporis integritate, primo quoque amittitur impudicitiae crimine; castitati autem, quae omnes cohibet obscaenas voluptates, locus esse possit, etiam amissa virginitate. Alterum est, quod licet non omnes norint hanc differentiam, & ideo qui unam vovet, utramque vovere putandus sit, fieri tamen possit, ut qui eam differentiam agnovit ita voveat virginitatem, ut non una voveat castitatem: „ His positis, in-
„ quis, quando Pater Marin docet esse
„ probabile, voventem virginitatem non
„ teneri ad castitatem, non docet hoc indis-
„ criminatim, & universaliter de *quocum-*
„ *que vovente*; sed determinate de eo solo,
„ qui novit significationem propriam illius
„ vocis, & discrimen inter unum votum, &
„ aliud; & praelucente ejusmodi notitia
„ votum emisit. Loquens vero de eo vo-
„ vente, qui haec non novit, ut commu-
„ niter sunt juvenes, & puellae, apertissi-
„ me docet, hunc teneri ad castitatem, ut
„ statim ex ejus verbis perspicuum fiet. De-
„ mum propositionem, quam P. Concina
„ trun-

„ truncate recitat, non profert in ſenſu ab-
„ ſoluto, quem praebet ut truncata refer-
„ tur; ſed temperat adjecta conditione,
„ quae reddit illam conditionem. Audia-
„ mus ipſum loc. cit. *Nihilominus probabile*
„ *eſt, eum, qui vovit virginitatem, non*
„ *teneri ad perpetuam caſtitatem, ſed tan-*
„ *tum ad ſervandam integritatem carnis,*
„ *quam illa vox virginitatis proprie ſignifi-*
„ *cat*: NISI CONSTET FUISSE ALIAM MENTEM VO-
„ VENTIS; AUT IGNORASSET HANC SIGNIFICATIO-
„ NEM vocis. Verba majuſcolis characteribus
„ ſcripta duo evidenter oſtendunt. Oſten-
„ dunt primo, P. Marin non loqui indiſcri-
„ minatim, & univerſaliter de *quocumque*
„ *vovente* virginitatem, ſed ſolum de eo,
„ qui novit ſignificationem vocis. Oſten-
„ dunt ſecundo, doctrinam P. Marin non
„ eſſe illam abſolutam, quam praefert pro-
„ poſitio mutilata; ſed eſſe hanc conditio-
„ natam: *probabile eſt non teneri ad caſtita-*
„ *tem, ſi novit ſignificationem vocis: ſi ve-*
„ *ro ſignificationem vocis ignoravit, non eſt*
„ *probabile*. Et tamen illa verba, quae
„ adeo immutant ſententiam Patris Marin,
„ eamque adeo temperant, a Patre Conci-
„ na, qui rancidulam cantionem pluries
„ propulſavit, ut ridiculam, detruncata
„ ſunt.

,, sunt. Sed pergamus audire Patrem Marin, qui sese ulterius explicat numero immediate sequenti. *Verius judico cum Moya tom. 1. tract. 2. disp. 1. quaest. 2. num.* 8. Distinguendum *taliter: si vovens agnovit differentiam inter votum virginitatis, & castitatis; votum virginitatis solum est partiale, obligans solum ad integritatem corporalem servandam. Si non agnovit differentiam, est votum totale*; *quia si non agnovit differentiam, ut communiter accidit puellis, & juvenibus ad totalem castitatem censentur obligari*. Doctrina P. Marin talis ne est, qualem ego depinxi, an qualem depinxit P. Concina? Lectores judicent ,,.

Non recuso, quominus lectores judicent, quinimmo vehementer cupio, modo prius intelligant quemadmodum doctrinam Marini *depinxerit P. Concina*, & utrum quidquam eorum omiserit, quae tu ad eam recte explicandam pertinuisse dicis. Adverte animum Noceti, nam ne te quidem judicem hac in re esse recuso: post verba enim abs te recitata pergit Concina hoc modo: ,, Subdit tamen idem Marin num. 40. ex Moya distinguendum esse. Si vovens, inquit, agnovit discrimen castitatem inter & vir- ,, gi-

„ ginitatem: tunc ad virginitatem partia-
„ liter, seu ad solam carnis integritatem
„ exteriorem adstringitur. Si non agnovit,
„ ut communiter in puellis accidit; ad to-
„ talem castitatem obligatur. In dubio au-
„ tem, inquit ille, num agnoverit tale dis-
„ crimen, censendum est illud agnovisse;
„ & consequenter, amissa per actum tur-
„ pem virginitate, non peccare in delecta-
„ tione morosa venerea contra votum. Hæc
„ earum speculationum una est, quas ali-
„ quando exercitii gratia aliqui novi Theo-
„ logi sibi effingunt. Nemo enim fidelium
„ etiam doctiorum, ad haec attendit di-
„ stinctionum spectra, dum virginitatis vo-
„ tum emittit; sed, cum absolute virgini-
„ tatem Deo spondet, animi, & corporis
„ puritatem adpromittit. Quare tanquam
„ improbabilem hanc reijcimus opinio-
„ nem „. Judicent nunc lectores de Con-
cinae fide. Illud ego abs te homine Religio-
so, & vindice veritatis requiro, quid de tua
judicandum putes? Nam quum tam clarum,
& perspicuum Concinae locum omiseris,
ut viam tibi ad eum accusandum aperires,
potes ne, ea te fide istum accusationis libel-
lum confecisse negare, qua illum ipsum in
perscribenda morali Theologia scribis fuisse
versatum? Di-

Dices, opinor hanc eandem propositionem referri a Concina pag. 117. in catalogum damnabilium detractis extremis verbis, *nisi constet fuisse* &c.

Sit ita. Nam quamquam hac de re saepe tibi responderim,& cum propositio opportuno loco recte explicatur, nullam esse ostenderim de catalogis conquerendi caussam, praesertim, cum id omissum fuit, quod nihilo tolerabiliorem reddit opinionem; dabo tamen in hac describenda, ne in catalogo quidem ea verba debuisse praetermitti. Quid igitur? An idcirco muneri tuo satisfecisti? Non puto; nam cur utrumque locum initio capitis descripsisti? Cur, postquam quaestus es de catalogo, lectores non monuisti, eam propositionem opportuno loco ab Concina recte explicari, ut, quia non tam quemadmodum describatur, quam quemadmodum sententia quaeque confutetur considerare convenit, nihil ab eo actum esse mala fide intelligerent? Haec ut faceres illa fides postulabat, quam in Concina desiderare te dicis.

CXLVI. Hujus est simile quod opponis cap. XXVI. eandem propositionem in indice hujus voluminis semel, & iterum ita indicari, ut duo hujus Casuistae videantur errata. Nam *De Marino iterum.*

ut omittam, tibi exploratum non fuisse, a quo indices essent confecti, & idcirco non licuisse vitio dare Concinae, quod ignorares, utrum ab eo esset profectum, quis quaeso miretur, bis poni in indice voluminis id, de quo bis in ipso volumine agitur, aut disputatur? Forte etiam is, qui indices confecit, magnum esse judicavit erratum hujus Casuistae, praesertim, quod ejus opinione, qui voverunt virginitatem, & dubitant, an una voverint castitatem „ solum obligantur ad „ minus, ex saepe dictis, ideoque post amis- „ sam virginitatem non peccabunt contra „ votum in delectatione morosa „ magnum inquam, ut est, aut duplex erratum esse putavit, & ideo, quo facilius a lectoribus animadverti posset, bis indicandum existimavit. Hoc tu si ferre non potes, & valde Marino, qui Romae damnatus est, injuriosum putas, lectores credere, eum bis errasse, facile alterutrum ex indice locum tolli impetrabis, modo, si quod in indice vitium est, id ei, qui fecit, non Concinae, qni non fecit, tribuendum putes.

At de indicibus, eorumque auctore hoc etiam habeto, non satis eum diligentem fuisse in iis conficiendis, cum pleraque indicare omiserit, quae si omissa non fuissent,